



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

Ingressus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)



INGRESSUS

DE CAUSA SCRIBENDI DE OBJECTO, ET DE
Partitione hujus Operis Polemici.

I. I.

ACTUM agere forsitan alicui videor, dum tot tantisque libris, qui de rebus Fidei inter Catholicos atque heterodoxos controversis agunt, unum addere molior; quis enim ex omnibus fidei articulis vel unus est, qui à pluribus ac doctissimis viris contra quosvis hæreticorum insultus non est clarissimè in lucem datus, fortissimè propugnatus, & autoritatis ac rationis momentis firmissimè roboratus? Non negaverim, ita videri posse.

Causa scribendi hoc opus.

Nihilominus post omnes libros de rebus Fidei controversis hæcenus impressos unus maximè in Germania desideratur, qui solus id præstet, in quo cuncti alij desiderium non explent. Nam plerique omnes libri, qui hæcenus in lucem prodierunt, vel particulares tantum sunt de una sola aut paucis materijs tractantes: vel si de omnibus rebus controversis agunt, nimis prolixi sunt, ac mole sua & emptu & lectu difficiles. Methodus in plerisque etiam talis cernitur, ut Lector doctrinam catholicam, quæ imprimis attendi debet, non clarè perspiciat, sed inter ipsas hæreses inspersam eruere debeat, prius falsà hæreticorum doctrinam, quam ipsam Catholicorum veritate imbutus. Sunt quoque, qui sola Sacra Scripturæ effata proferant, aut mera Conciliorum ac Patrum testimonia allegent, & tam ex istis, quam illis cumulum struant, ac chartas impleant, relictis cæteris, quæ ad doctrinas Catholicorum declarandas, & errores Sectariorum refellendos plurimum faciunt. Demum plerique omnes veteribus fere hæreticorum erroribus se impendunt refutandis: nec ad recentia Sectariorum effugia, & ad excogitata de novo errorum suorum fulcimenta se extendunt, cum hisce priores tempore extiterint, quæ tamen nec pauca sunt, nec talia, ut absque illis everfis Catholica veritas manifestè appareat hæreseos triumphatrix.

III. Propter hæc aliâque P. Laurentius Forer (vir è Societate nostra primis in Germanica hæresam Dominicoribus haud immeritò annumerandus) inter innumeros controversiarum libros unum optari posse sapienter advertit, qui scilicet materias omnes hoc tempore controversas cum suis quasque fundamentis gratâ brevitate ac claritate complecteretur. Atque ad hunc talem conscribendum ipse jam se accinxerat, sed mors calamum ei cum vita, eripuit, & ad celestia æternaque præmia pro maximis suis laboribus & meritis prope Octogenarium evocavit. Ne autem pro-

positum tam laudabile atque Ecclesiæ Catholicæ tam utile in tumultum cum illo inferretur, id mihi sumpsi executioni mandandum, postquam eisdem P. Laurentij nutu à Superioribus è Scholastica Theologia ad Polemicam sui translatus, & ad docendas Controversias Fidei tum Monachij in Germania, tum in Italia Romæ applicatus, ubi in præsentis libro elaborando hunc mihi scopum præfixi.

Methodus.

IV. Imprimis statui omnes omnino materias Theologiæ Polemicæ uno libro complecti, qui tamen mole suâ mediocrem Tomum non excederet; etenim viâ magis compendiariâ articuli fidei omnes, qui hodie in controversiam trahuntur, obscure quidem indicari, non autem dilucidè explanari possunt.

V. Tum Methodum selegi, ut opinor, commodissimam; nempe singulas controversias in duas partes dividendo; in quarum priore doctrinæ Catholicorum: in posteriore hæreticorum errores proponantur, & hi ex illis refutantur. Sic fiet, ut Lector utriusque Partis fundamenta probè percipiat, & prius veritates Catholicorum rite apprehendat, quàm hæreticorum erroribus phantasiâ impleat, quæ tenacitate suâ frequenter multum negotij facessit. Nomine autem *doctrina Catholica* non eam sempervolo intelligi, cujus oppositum error habetur in Fide: sed frequenter illam duntaxat, quæ à Catholicis doctoribus communior & verior censetur, & asseritur.

VI. Deinde maximam moderationem habui tam in probandis, quàm refutandis rebus, ut non nisi selecta, certa, atque indubitata testimonia Sac. Scripturæ, Conciliorum, ac Patrum adducerem, & graviora solum rationum momenta adungerem, ut ita intra gratam brevitate ac soliditate me continerem; si tamen Lector abundantiorum subinde doctrinam cuperet, ne illius desiderio deessem, plerumque ad finem Authorem nominavi, qui copiosius de eadem materia tractans videri possit.

VII. Postea pro Doctrinis Catholicis eos præsertim Authores post Sac. Script. Concil. & Patres allegavi, qui facilius & maximè in Germaniâ haberi possunt v. g. D. Thomam Aquinatem, Franciscum Suarezium, Gabrielem Vasquezium, Gregorium Valentiam, Adamum Tannerum, Martinum Esparzam, Cornelium à Lapide, Jacobum Tirinum, Cardinalem Robertum Bellarminum, Martinum Becanum, Ill. mos & Rev. mos Adrianum & Petrum de Wallenburch, Jacobum Kellerum, Laurentium Forerum, Card. Boronium in Hist. Eccles.

Eccles. Efti præter istos plurium aliorum doctissimis libris usus fuerim. Errores autem hæreticorum eorūque explicationes ac probationes sumpsi præcipuè ex Ioanne Gerhærdi Doct. Ienensi de doctrina Evangelica Confessionis Augustinæ. Guilielmo Amelio Calviniano Theologiæ apud Frisios Professore contra Card. Bellarminum, quem scutrititer medio digito in titulo libri intendens vocat Eneivatum. Menone Hanneken Superintendente Lubecensi, cuius Irenicū Catholicō-Evangelicū in vernacula lingua ante paucos annos per aliū librum Monachij impressum refutavi. Petro Molinæo Professore Sedanensi, & Jacobo Hailbrunner; quorum ille Calvinista Librum de Papatu novo: iste verò Luthèranus de eodem Papatu non-catholico scripsit. Atque ex alijs, qui recentissimè vel univèrsim de omnibus articulis hodie controversis: Vel particulatim de certis solū materijs tractarunt, quorum posteriorum particulares tractatus permultos in præsentia adhibui.

VIII. Denique ex omnibus, quæ apud Adversarios legi ac reperi, nihil prorsus relatu dignum dissimulavi, sed omnia argumenta, quibus suos falsiunt errores, fideliter proposui, apertè respondi, ac validè rejeci, ita ut quilibet æquus rerum arbiter, & suæ cupidus æternæ salutis luculentè tam Catholicarum doctrinarum veritatem, quam errorum hæreticorum falsitatem perspicere possit. Solū à mendacijs, criminationibus, calumnijs, & quibuscunque injurijs (quibus Sectariorum libri scatent, uti expressè & velut digito nonnunquam ostendo) me abstinui, ut vel ex solo modesto, Christiano, ac Religioso scribendi modo Veritas Catholica eluceat, quæ ad sui agnitionem & acceptationem mendacibus verborum phaleris vestiri non indiget, solo suæ puritatis candore longè pulcherrima & amabilissima. Hæc de ratione scribendi hujus Theologiæ Polemicæ; ex quibus satis liquere arbitror, me illam moliendo actum non agere.

Objectum Operis hujus Polemicæ.

IX. Objectum hujus libri seu Theologiæ Polemicæ est Sancta Romano-Catholica Fides contra hæreticos asserenda, defendenda, stabilienda. Nam *huic scientiæ*, inquit S. Augustinus lib. 14. de Trinitate c. 1. *tribuitur id, quo Fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Unde facile, Necessitas, & Præstantia ejusdem Theologiæ Polemicæ apparet. Quid enim ista utilis ad venenū hæresum & lethiferos Sectariorum errores evitandos, sanamque doctrinā retinendam? Quid eadem magis necessarium ad sacram Christi Fidem, unicam Salutis æternæ viam, concipiendam, fovendam, conservandam, propagandam, &c? Tolle Theologiam Polemicam, mox malæ bestię, hæreses, inquam, Fidem discerpent. Quid demum præstantius, quam pro DEI optimi maximi majestate & gloria, pro Sanctorum cultu & honore, pro Animarum Humanarum salute & æterna felicitate, pro Sacrorum omnium sublimitate & æstimatione stare, pugnare triumphare? quod felicissimè & invictissimè præstat Theologia Polemica.

Cum igitur hæc ita se habeant, aliquid prius de ipsa sacra Fide præmitti oportet, ne hujus Nomen, Essentiam, Objectum, ac Proprietates silentio prætereamus, cujus solius causā cætera omnia adeo laboriosè fuerunt pertractata. Itaque

Nomen & Essentia Fidei.

X. Nomen Fidei, etiam varias habeat significaciones, præcipua tamè videtur esse, quæ sumitur pro credulitate sive assensu fundato in testimonio dicentis; quia acceptio ista valde usitata est non tantum apud Latinos, quibus fidem habere, adhibere, & tribuere dicenti idem est, quod credere, sed etiam in scriptura & Patribus; quidquid ex hæreticis nonnulli contradicant cum Melancthone in locis Communibus. Cicero lib. 2. de divin. insanorum Visis, ait, *fides non est adhibenda.* S. Augustin. lib. de Spirit. lit. c. 31. *Aliter, inquit, dicimus, non mihi habuit fidem, aliter, non mihi servavit fidem; Nam illud est, non credidit, quod dixi: istud, non fecit, quod dixit.* Atque in hac principali significatione Fides à D. Paulo ad Heb. 11. v. 1. dicitur: *Substantia rerum sperandarum: argumentum non apparentium.* Quod dictum Paulinum, etiam non sit definitio exacta, est tamen commoda, cum in posteriore saltem sui parte omnia essentialia involuat, & hunc contineat sensum: *Fides est assensus certus & infallibilis, quo assentimur rebus non apparentibus; supple propter auctoritatem DEI obscure revelantis, ut rectè Suarez Tom. de Fide, & communiter alij Theologi.* Hæc Fidei Essentia & Natura ex objecto ejusdem clarescit. Itaque.

Objectum Fidei.

XI. Objectum Fidei divinæ Materiale ex communi Auctorum est id omne, quod propter Veracitatem & Revelationem Dei creditur, adeoque Ens tam Naturale quam Supernaturale; tam negativum, quam positivum, tam obscurum, quam aliunde clarè cognitum; hæc quippe omnia fide divinā ob dictam Veracitatem & Revelationem DEI obscuram creduntur, de quorum proinde veritate, ut substant tali Testimonio dubitari neutiquā potest, cum Deus nulla Potentiā vel per se, vel per alium fallere aut mentiri queat. Nam *non est DEUS quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut miteretur.* Num. 23. v. 19. *Est autem DEUS verax, omnis autem homo mendax.* Rom. 3. v. 4. In quibus locis non præcisè agitur de actuali commissione mendacij, sed de potestate quoque mentiendi; quia Deus totus diversus est ab homine, & quidem per ea, quæ cuique illorum peculiaria ac propria sunt. Atqui Soli Deo proprium est ac peculiare, non posse mentiri; etenim actu & re ipsa non mentiri commune fuit alijs. Quo sensu hunc locum explicat S. Ambrosius Lib. 6. epist. 37. In prædictis etiam locis non tantum agitur de veracitate DEI per seipsum, sed etiam per alium, ut ex communi aliorum docet Suarez Tom. cit. de Fide D. 3. Sect. 5. num. 12. quia agunt de locutione, quæ Deus locutus est per os Sanctorum, per Prophetas scil. Apostolos, & Angelos tanquam suos Ministros & Vicarios.

XII. Objectum Formale Fidei divinæ adæquatum est Deus summè Verax ac Revelans. Ità S. Thomas 22. Q. 1. art. 1. & Q. 5. art. 3. Albertus, Bonaventura, Valentia, Suarez, Tanner, Gammacheus, Mendoza, Arriaga, Oviedo, Esparza de Fide Q. 16. & 17. & cæteri Theologi communiter. Habet doctrina hæc duas partes. Prima harum (Deum scil. esse veracem, & sic objectum formale fidei) ut ritè intelligatur, advertendum, per Deum summè veracem, seu quod idem est, per primam Veritatem tanquam Motivum Fidei intelligi

belligi duplicem perfectionem DEI; unam ex parte intellectus, per quam Deus habet, non posse falli in cognitione objecti: alteram ex parte voluntatis, per quam Deus habet, non velle, nec posse mentiri; totum enim hoc in Deo summè verari includitur, & quovis deficiente nutaret fides nostra, ut bene notant Suarez D. 3. S. 4. n. 7. & alij Theologi.

Probatur jam eadem pars I. ex Sac. Script. I. Ioan. 5. v. 10. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est DEUS de Filio suo.* Ergo credimus propter veracitatem DEI; huic enim opponitur mendacij capacitas; quam Deo non credendo impingimus. Probi. 2. ex Patribus, quorum plura testimonia congerunt Valentia de Fide. Q. 1. p. 1. & 4. atque alij citati. Sufficiat nobis D. Dionysius, qui cap. 7. de div. Nom. ait: *Fides est circa simplicem & semper existentem veritatem.* Parb. 3. ratione. Quia ille, qui Deo aliquid revelanti non crederet, injuriam ei faceret, idque non alià ratione, quam, quod sic ostenderet, se in eo non agnoscere summam veracitatem, ob quam moveri debeat, ut ipsi testificantur firmiter credat. Ergo ratio movens ad credendum erit Veritas DEI testificantis.

XIII. Secundà pars ejusdem doctrinæ (nempe DEUM revelantem esse & pertinere ad objectum) idem Probi. I. ex Sacra Script. quæ aliquoties significat, mysteria fidei esse credenda propter hanc causam, quia *DEUS ea revelavit, enarravit, testatus est,* ut Matth. 16. v. 17. Ioan. 1. v. 18. I. Ioan. 5. v. 6. I. Thessal. 2. v. 13. &c. Probi. 2. Auctoritate Patrum, quorum testimonia habentur passim apud Doctores, & omnia expressè assensum Fidei in Revelationem & testimonium DEI reducunt. Probi. 3. ratione. Quia Auctoritas DEI nudè spectata non potest esse ratio assentiendi per fidem, nisi interveniat testimonium aliquod, mediante quo illa Auctoritas suo modo informat objectum materiale Fidei. Ergo Revelatio pertinet ad Objectum Formale, & quidem secundum omnem suam rationem, hoc est, tam Internam seu Activam, quam Externam seu Passivam. Prior est conceptus seu cognitio mentis divinæ de re aliqua ad credendum nobis exhibenda. Posterior sunt medià qualiacunque; quibus DEUS suum illum conceptum nobis significat; etenim Sac. Scriptura ait, nos credere propter testimonium, enarrationem, verbum seu Revelationem DEI &c. quibus vocibus clarum videtur, quod utramque revelationem complectatur; passivam, quia loquitur de Revelatione, quæ mysteria Fidei innouerunt: activam, quia loquitur de revelatione, prout hæc est verè locutio DEI; illa autem passiva revelatio non potest esse verè locutio; nisi prout huic activæ, quam exprimit, substat.

Notitia prævia ad assensum fidei: Et Pia Affectio.

XIV. Antequam aliquis fide divinã credat aliquid objectum, cognoscere debet, illud esse tale, ut prudenter possit, & debeat credi omnino firmissimè, & certissimè, & super omnia. Nam ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 1. art. 4. ad 2. *Non crederet quis, nisi videret, ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Ubi S. Doctor ad Fidei assensum prærequirit videre (hoc est, evidenter cognoscere) credibilitatem myriorum, ut cum interpretantur Cajetanus & alij

Theologi communiter, & conformiter S. Scripturæ Ioan. 15. v. 22. Ubi Christus de ijs, qui non credebant, ait: *nunc autem excusationem non habent,* scil. postquam fides in verum Messiam ex motivis exhibitis evidenter illis apparuit credibilis, & tamen non crediderunt. Unde colligitur, non credentibus locum esse excusationi, quamdiu evidentiã illa non habetur: & consequenter prærequiri ad assensum Fidei eliciendum evidentiã credibilitatis, ita ut intellectus judicet, oppositum hic & nunc prudenter, & secundum certam rationem esse prorsus incredibile; *qui enim citò credit, levius est corde.* Ecclesiastici 19. vers. 4.

XV. Mysteria Fidei nostræ Catholicæ esse evidenter credibilia, communis habet & indubitata Doctorum Sententia, idque conformiter Sac. Scripturæ Psal. 92. v. 5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Unde Matth. 5. v. 15. comparatur Ecclesia Civitati supra montem posita, quæ abscondi non potest. Accedit ratio, Quia si Mysteria fidei nostræ habent argumenta, quibus ostendi possunt, esse digna creditu, & credi debere, à quovis prudente, sunt evidenter credibilia. Atqui habent hujusmodi desumpta à Persona Christi Authoris sui: ab integritate & rectitudine Doctrinæ: à Sanctificatione Sæctorum Fidei nostræ Catholicæ: ex Miraculis tot & tantis omnibus retrò sæculis in confirmationem Fidei nostræ perpetratis: à modo, quo fuit Fides nostra propagata: ex constantia Martyrum prope innumerorum: ab excellentia & conditione eorum, qui nostræ Religionis fuerunt: ex vaticinijs & prophetijs: denique ex varijs capitibus contra Lutheranam, Calvinianam, & alias hujus temporis sectas: Ergo &c.

XVI. Præter motiva autem extrinsecã, de quibus diximus, & fuse ab alijs explicatur, ad suadendam ac capessendam prudenter fidem ab Instruttore propositam necessarium insuper est Lumen fidei, intelligendo per hoc specialem aliquam mentis illuminationem à Deo immisissam, quæ illa vel compleantur, vel cognoscantur habere hęc & nunc proposita vim faciendi mysteria Fidei evidenter credibilia. Ita communis doctrina Theologorum itidem conformiter Sacræ Scripturæ; Concilijs ac Patribus, è quibus pulcherrimè S. Augustinus lib. 15. de Civitate cap. 6. *Esi Deus ipse, inquit, Utens creaturã tibi subditã in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos: nec interiore gratiã mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis.*

XVII. Ad prædictam evidentiã credibilitatis duplex sequitur ejusdem Iudicium. Remotum unum ac merè speculativum dictans, objectum propositum apparere evidenter credibile: Proximum alterum ac penitus practicum dictans, objectum hęc & nunc esse credendum, atque obligationem ad hoc adesse. Ita communiter Doctores; quia utriusque actus est diversum objectum; Prius enim iudicium versatur circa credibilitatem objecti, & videtur absolute naturale; quia non apparet, cur iudicium, quo aliquid dignum creditu censetur, debeat esse supernaturalè: Posterius verò versatur circa ipsum actum fidei, ejusque honestatem ut ponendam; Unde secundum substantiam suam est supernaturale, ut ex Concilijs & Patribus fuse ostendunt Scholastici. Ratio breviter sumitur ex eo, quod universim ad omnem volitionem supernaturalem prærequiratur cognitio proportionata, & ejusdem ordinis. Cur ergo

ingha
er
ologia
emica
XI
4

non etiam ad volitionem credendi supernaturalis.

XVIII. Nondum ponitur Actus fidei etiam posito credibilitatis iudicio (quod notitia prævia dicitur, & ab hæreticis etiam admittitur) priusquam interveniat pia voluntatis motio, quæ procedit à speciali quodam habitu in voluntate seu virtute infusa, quam *Piam Affectionem* vocare communiter Theologi solent. Itaque intellectus pendet à voluntate per actualem & positivum affectum imperante assensum fidei, à quo affectu Fides denominatur voluntaria & libera. Ita cum D. Thoma 22. Q. 1. cit. art. 4. Et Q. 2. art. 12. & alibi omnes Theologi. Prob. 1. ex Script. in qua passim supponitur, Fidem esse liberam, quod absque voluntatis interveniente motu esse non potest. Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad iustitiam*; Ubi nomine cordis intelligi voluntatem, notat D. Thomas ibi. Prob. 2. ex Conciliijs, ex quibus Araucianum II. can. 5. dicit: *Initium fidei esse ipsum voluntatis affectum, eumque inesse nobis per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad Fidem*. Ubi Fides & infidelitas radicaliter ponuntur in voluntate. Prob. 3. ex Patribus, quos fusè adducunt Suarez, Valentia, & Tanner & Scholastici passim. Sufficiat nobis S. Ambrosius, qui in illa verba S. Pauli ad Rom. 4. v. 4. *Ei autem, qui operatur, &c.* Sic scribit: *Aut credere aut non credere, voluntatis est; neque enim cogi potest ad id, quod manifestum non est*. Prob. 4. Ratione desumpta ex natura ipsius intellectus. Nam actus Fidei est assensus obscurus & certus excludens omnem formidinem. Intellectus autem de se vi motivorum non determinatur sufficienter ad excludendam omnem formidinem. Ergo indiget ad hoc determinatione voluntatis, à qua licet veritas objecti non ponatur, nec augeatur, non tamen idcirco intellectus tantum remote movetur ab illa, hoc est, tantum applicatur ad consideranda motiva ad credendum inducentia; siquidem actus fidei proximè, postquam iam applicata sunt motiva, per actum voluntatis positivum imperatur.

Proprietates Fidei.

XIX. EX his, quæ hactenus de Objecto Formali, & Natura Fidei diximus, jam apparent quædam præcipuæ quasi Proprietates Fidei; nempe Libertas, Supernaturalitas, Certitudo, Necessitas &c. Libertas ex recens dictis constat, & omnis pluribus & manifestis testimonijs Sac. Scripturæ ac Patrum, quæ videri possunt apud Suarez de Fide. Disputat. & Sect. 6. quisque experientiâ clarâ coniicit, eâ se libertate inducere actum Fidei, aut huius suspensionem, ut lubet, quâ inducit applicationem intellectus ad considerandum vel hæc, vel illa objecta; quâ experientia nixus D. Augustinus cap. 2. de Prædest. Sanctior. cætera, inquit, *potest homo nolens; credere autem non nisi volens*. Quare quando assensus elicitur, aut vi voluntatis necessaria, aut etiam libera, non tamen cum plena deliberatione, non est verè & propriè Actus Supernaturalis Fidei, de qua Sacra Scriptura & Patres loquuntur.

XX. Supernaturalitas Fidei quoad Substantiam probari solet ex pluribus Scripturæ locis, ubi Fides vocatur donum DEI, & quod sine dono non sumus sufficientes ad credendum, ut oportet, qui textus syncerè ponderati suadent supernatu-

ralitatem quoad substantiam; etenim dicitur Fides esse donum, quo nos Pater cœlestis ad se trahit: & sine quo nemo venit ad Deum, nec illi placere potest. Ioan. 6. v. 66. *Nemo potest venire ad me, nisi eis fuerit datum à Patre meo*. Et ibi. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Hebræ. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est, placere Deo*. Unde colligitur, hoc donum dari tanquam medium maximè & primariò necessarium atque ordinans ad vitæ æternæ consecutionem, in quo Scholastici ponunt Supernaturalitatem quoad substantiam. Ad hæc ad statum supernaturalem & Filij Adoptivi non solum pertinet, posse supernaturaliter operari per voluntatem, sed etiam per intellectum eliciendo operationes proprias Filij Dei, & quæ sunt fructus participationis Naturæ divinæ, adeoquæ radicentur in Gratia sanctificante. Ergo supernaturales sunt quoad substantiam non minus, quam Visio Beata, quæ succedit Fidei.

XXI. Certitudo Fidei communiter duplex assignatur. Una propria, intrinseca, & essentialis, quæ in eo consistit, actualis est naturæ, ut ei repugnet omnino falsitas etiam metaphysicè loquendo. Altera formalis & adhæsiva, quæ consistit non tam in connexione ipsius actus cum objecto, quam in firma adhæsione intellectus erga illud objectum. Assensus Fidei certitudine propriâ & intrinseca superat omnes alios actus naturales & evidentes, ut communiter tenent Scholastici. Prob. 1. ex Scriptura, quæ semper cum emphasi loquitur de certitudine fidei 2. Pet. 1. v. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*. 2. ex PP. quos copiosè allegat Suarez D. 6. sect. 5. Sufficiat hic S. Augustinus, qui lib. 7. Confess. c. 10. *Facilius, inquit, dubitarem, me vivere, quam esse veritatem, quam audiui in corde*. 3. Ratione, quia actus fidei propter suam perfectionem, quam habet, ex natura sua petit, ne ullo modo producat, nisi objectum ita existat, ut exprimit. Et de hac certitudine intelligendi sunt Authores, quando Fidem vel comparant Visioni Beatificæ, vel supra omnem certitudinem naturalem extollunt. Nam Certitudo adhæsiva non requiritur in credente major, quam in alijs sit adhæsio alia, quæ non est ex fide. Sæpe enim hæretici & alij Philosophi adhærent suis erroribus aut veritatibus evidenter cognitis tam firmiter, quam adhærent Fideles rebus fidei; & in ipso Fidei contingere potest, ut invincibiliter seductus circa mysterium fidei tam certò adhæreat errori, quam veritati; quamvis secundum rectam rationem, & debitam æstimationem Fides Catholica etiam certitudine adhæsivâ seu subjecti firmior esse deberet, quam fides humana; quippe æquum est, ut ille firmius credat, qui certius habet credendi motivum.

XXII. Necessitas Fidei universim permagna est. Nam omnes ratione Utentes, cuiuscunque sint Gentis, Sectæ, Conditionis, Locis, Temporis fidem necessariò habere debent ad Gratiam & Gloriam adipiscendam. Sic enim divina oracula se habent Heb. 11. v. 6. *Sine fide autem impossibile est, placere Deo*. *Credere enim oportet, accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Marci 16. v. 16. *qui verò non crediderit, condemnabitur*. Sac. Scripturæ consentiunt Patres, è quibus D. Gregorius 2. Moral. c. 33. *Nisi Fides, inquit, prima in corde nostro gignitur, reliqua quæque esse bona (bonitate ad Iustificationem & meritum vitæ æternæ requisita)*

non possunt, etiamsi bona videantur. Porro necessarium ad salutem duobus modis aliquid dici potest, scilicet necessitate Medij & Præcepti.

XXIII. Priori modo sive Necessitate Medij dicitur necessarium id, sine quo aliquis reipsa non potest justificari & salvari secundum ordinariam Dei legem; tamen quis invincibiliter, adeoque inculpabiliter ignoret, illud esse necessarium. Sic semper in omni statu Naturæ lapsæ necessarium fuit explicitè credere, DEUM esse, ac Remuneratorem esse, seu habere providentiam tum in hac, tum in altera vita. Nam cum Apostolus ad Heb. 11. cit. dixisset, *sine fide impossibile est, placere DEO*, id est, necessariò credendum aliquid esse ad Justitiam, Deique Amicitiam, & consequenter ad salutem obtinendam, determinare volens, quid necessariò sic esset credendum; statim subjunxit eod. vers. 6. *credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia Est, & inquirentibus se Remunerator sit*. Ratio hujus est; quia illud necessariò necessitate Medij est credendum, sine quo etiam invincibiliter ignorato nemo adultus justitiam & salutem consequi potest. Sed talis est explicata Fides duorum illorum articulorum. Ergo, &c. Major constat. Min. Probat. Quia sine tali cognitione & fide non habemus notitiam ultimi finis nostri; Consequenter non possumus ullum actum supernaturalem circa illum elicere, multò minus actum charitatis, sine quo tamen nullus adultus saltem extra Sacramenta potest primam gratiam aut salutem consequi.

XXIV. Posteriori modo sive Necessitate Præcepti necessarium esse dicitur id, quod ex vi præcepti ad salutis consecutionem vel faciendum vel exequendum est, tunc Scil. quando adest facultas & occasio. Sic omnes Christiani tenentur credere explicitè omnes articulos, qui in vulgato Apostolorum symbolo continentur saltem quoad substantiam, ut constat ex varijs Concilijs & catechesi Pij V. ubi dicitur in principio, omnes scire & credere oportere ea, quæ Apostoli certis articulis comprehenderunt. Nam isti in diversas orbis partes discessuri composuerunt hoc symbolum, ut id juxta Christi præceptum docerent omnem creaturam, hoc est, omnes homines rationis capaces, antequam baptizarentur; sicuti piè semper & indubitatè post Sanctos Patres Clementem L. 7. Constit. Apostol. cap. 4. Irenæum lib. 1. contra hæres. c. 2. & lib. 3. c. 4. Epiphanium hæref. 68. Leonem ferm. 11. de Passione. Et Epist. 8. 13. & 25. Chrysof. hom. 12. de Symbolo. Ambros. L. 1. de Spiritu Sancto. Epistol. 81. & ferm. 38. Maximum hom. de tradit. Symboli, & alios tenuerunt S. Thomas 22. Q. 1. art. 9. & omnes Scholastici ac Catholici. Ergo omnes homines tenentur discere; alioquin frustra Apostoli obligarentur, id ita amplè & universim docere.

XXV. Præter explicitam fidem Symboli Apostolici omnes quoque in Lege Evangelica tenentur scire ea, quæ & communiter Christianis omnibus, & cuique juxta statum suum necessaria sunt ad rectè vivendum, ut docent omnes Catholici, habeturque ex perpetuo Usu Ecclesiæ, quæ hanc notitiam à singulis ante atque etiam post baptismum exigit, & planè status ac professio Christiana requirit. Imprimis igitur omnes adulti sic scire debent substantiam & rationem Sacramentorum Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, & quæ ad eadem Sacramenta dignè recipienda sunt necessa-

ria: in cæteris verò Sacramentis idem opus erit, si quando quis suscipere eadem voluerit. Deinde scire etiam omnes tenentur modum legitime orandi DEUM, ac in specie etiam juxta receptum Ecclesiæ morem orationem Dominicam. Item præcepta Decalogi, & communia Ecclesiæ præcepta. Demum etsi non obligentur Christiani, ut omnia explicitè credant, quæ DEUS revelavit, sed sufficiat, si implicitè; attamen Fideles singulos paratos esse oportet ad credendum quidvis, quod Ecclesia sufficienter proponit credendum tanquam verum, ac de Fide, ita ut actum contrarium elicere minimè valeant, atque audeant; quippe prohibitum est, judicare, Ecclesiam in rebus fidei errare posse, cum ea rectè Paulo 1. ad Timoth. 3. v. 15. cit. sit. *Columna ac Firmamentum Veritatis*.

Oppugnatio Fidei ex Objecto hujus Formali.

XXVI. **C**ontra Naturam Fidei sic breviter explicatam, & potissimam atque essentiali ejus rationem, nimirum contra objectum Formale opponit se Joannes Musæus in Academia Jenensi Theologiæ Professor in altera sua de Ecclesia Tractatione non pridem edita assignans pro Objecto Fidei Formali ac Motivo Supernaturalem concursum & elevationem Objectivam. *Voluntas*, inquit num. 64. *supernaturalis concursu DEI elevata intellectum in assensum sui: & credendorum Revelatio divina movet: adeoq; supernaturalis ille concursus DEI ad ipsam rationem objectivam Fidei pertinet; voluntas enim cum ad res in Scripturis revelatas naturæ suæ mortuæ sit, non potest earum apprehensione ad ullum actum efficacem moveri citra illarum elevationem. Probat. Tum ex Sac. Scriptura. 1. Thess. 2. v. 13. dicit Apostolus: *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis à nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicuti est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*. Item Matth. c. 7. v. 28. ubi dicitur, *Turbam fuisse doctrinam Christi percussam*. In his, ait Musæus, indicat Sac. Scriptura, à concursu supernaturali provenire vim ac virtutem Verbo Dei, & voluntatem inde percussam & elevatam movere intellectum in assensum Fidei. Ergo Objectum Formale & Motivum Fidei est Concursus supernaturalis & elevatio objectiva. Tum ratione; quia Revelatio divina in Scripturis per se nihil continet præter verba & res significatas. Ergo relinquunt, quod supernaturali Dei concursu elevata voluntas intellectum in assensum sui; & credendorum Revelatio divina moveat; adeoq; supernaturalis ille concursus ad rationem formalem objectivam pertineat.*

XXVII. Hoc argumentum mirè extollit Musæus thraconicè gloriando, quasi omnes hætenus Pontificij Scholastici ad lucis conspectum fuissent meri vespertilliones: ipse verò veluti genuinus Aquilæ pullus fixo solem obtutu aspexisset; unde jactabundus asserit, *commentum suum esse veritatem demonstratam, eamque liquidissimam, & vel ipsa solis luce clariorem*. Ego re bene lecta & expensâ argumentum illud nihil judico esse aliud, quàm hæreticam & recedam cramben, crassissimam ignorantiam, & chimæricas ineptias. Nec quisquam hoc miretur; plura enim similia argumenta ex Adversariorum scriptis & libris per Theologiam Polemicam occurrent; siquidem

Prædicantes suis irretiti erroribus alia ex aliis deliramenta texunt, meris se verbis vanè pascunt, & syncerè audire ac discere veritatem nolunt.

XXVIII. Inprimis igitur argumentum Musæi dixi esse meam hæreticam & recoctam cramben. Quia profus idem est *concurfus supernaturalis, & elevatio objectiva* Musæi: ac *testimonium infallibile, sed occultum Spiritus divini, Calixti: vel publica Spiritus Sancti auctoritas in Verbo Dei Christianis omnibus communis, Riveti: vel Verbum sincerum secundum sensum Spiritus Sancti: vel analogia certioratio interna de verbo Dei & hujus sensu: vel denique criterium, seu instinctus internus Spiritus Sancti*, quibus alii Calvinistæ & Lutherani agnoscere se jactant, quodnam sit Verbum Dei, & quis legitimus hujus sensus. Ostendamus sem in exemplo. Hæc verba Christi Matth. 26. v. 27. *Hoc est Corpus meum*, Molinæus, Amelius, Rivetus & alii Calvinistæ dicunt, esse verba DEI, sed significare solum Christum ejusque Passionem, corpus autem Eiusdem non ponere præsens. Cur hoc? quia, ajunt, Spiritus Sancti auctoritas omnibus Christianis communis ita nobis intus dicitur, nos certiorat &c. Gerhardus, Meno Hanneken, Hailbrunner, Calixtus & alii Lutherani ajunt itidem, esse verba Dei, & significare, ipsum Christi Corpus intimè præsens esse in sumptione, fierique consubstantiationem. Cur hoc? quia, inquit, Spiritus S. intus testatur, docet, notificat &c. Ad stipulatur Lutheranis suis Musæus. Cur ita? propter concursum supernaturalem & elevationem objectivam. Quid autem est hoc ab aliis diversum? nihil; Utique enim alii Sectarii in suo testimonio, auctoritate, certioratione, criterio, instinctu Spiritus Sancti actionem supernaturalem atque elevationem intervenire agnoscunt. Præterea motio voluntatis per concursum supernaturalem &c. vel est imperium voluntatis ex motivis credibilitatis surgens: vel etiam sola illustratio absque illis motivis credibilitatis: vel est percussio voluntatis intellectum moventis in assensum. Nihil horum dici potuit. Non primum & secundum, quod utrumque tenent Catholici; illud in hominibus; istud in Angelis. Si igitur tertium, recidit in privatum instinctum Spiritus Sancti, nihilque est aliud, ut dixi, quam hæretica & recocta crambe.

XXIX. Deinde dixi, argumentum Musæi esse crassissimam insectiam. Nam in omnibus Scholis Theologicis & Philosophicis notissimum est, & veluti primum principium, elevationem supernaturalem fieri non objective, sed effective, eamque nihil esse aliud, quam confortationem Potentiæ naturalis ad effectum altioris ordinis producendum, atque naturæ improportionatum. v. g. Intellectus noster, quia vi & virtute suâ visionem Dei producere in celo nequit, idcirco elevatur & proportionatur tali effectui per qualitatem supernaturalem, quam Theologi Lumen Gloriæ appellant. Sic etiam, quando voluntas Peccatoris elevatur ad contritionem aut amorem supernaturalem, quo ad justificationem disponitur, fit ea elevatio per concursum DEI extrinsecum & supernaturalem, quo voluntas, quæ naturalis est potentia, confortatur, atque effectui altioris ordinis proportionatur. Ecce in celo & in terra elevatio fit efficienter; ostendat Musæus, ubi fiat objective,

aut quis ex Patribus, Theologis, aut Philosophis hoc unquam docuerit?

XXX. Demum dixi, argumentum Musæi esse chimericas ineptias. Nam quid ineptius, quam obscurum illustrari per obscurum? libertatem astrui per necessitatem? in intelligendis scripturis, non intellectum, sed ipsas elevari scripturas? His & alijs ineptijs scater opinio Musæi. Primum ostenditur. Num. 68. scribit Musæus, *Nulum Supernaturale posse viatori esse evidenter cognitum*. Ergo concursus supernaturalis additus voluntati est æquè obscurus, ac ipsa revelatio. Ergo obscurum illustratur per obscurum. Alterum ostenditur. Voluntas, quando v. g. eliciendus est primus actus fidei, non agit libere, sed juxta Musæum agitur ut instrumentum merè passivum. Ergo libertas assensus fidei astruitur per necessitatem voluntatis actæ. Ultimum ostenditur. Inauditum est, ipsas Scripturas, quæ sunt revelationes divinæ: & non potius homines ipsos elevari ad illas admittendas. Aut Scripturæ in se intentionaliter exprimiunt homines: & non vice versa homines in se intentionaliter exprimiunt Scripturas; easque assensu suo amplectuntur? Multa etiam creduntur extra Scripturas, v. g. quando Petrus Actor. 10. in mentis excessu per linthei descensionem & cætera ibi narrata fuit edocuit; Gentes ad Evangelium esse admittendas; idem dicendum de innumeris alijs ejusmodi raptibus & visionibus objectorum a parte rei non existentium, sed miraculose apparentium, ac si existerent, quibus plena est Apocalypsis. Ostendat nobis hic Musæus, quomodo Petrus aut Ioannes per concursum suum supernaturalem & elevationem objectivam tanquam per objectum formale elicerent assensum Fidei, & non moveat omnibus risum? Nos Catholici facile dicimus, visionem v. g. Petri reflexè cognitam & rite expensam prudenter factam esse credibilem, quod fit à Deo, & quidem in eum finem, ut tale objectum cognosceretur; inde voluntas imperare potuit intellectui, ut tali visioni seu illustrationi veluti rationi formali passivæ assensum præberet.

XXXI. Probationes Musæi nihil profus faciunt ad rem, & nequicquam evincunt contra Catholicos. Primæ Probationis Sac. Scripturæ 1. Thessalon. 2. v. 23. Sensus ex comuni Patrum & Interpretum est iste: Vos Thessalonicenses accepistis verbum auditus DEI, hoc est, prædicationis meæ, non, ut est verbum Ecclesiæ, vel Hominum, aut Angelorum, sed ut verbum DEI, qui additis prædicationi meæ signis ac prodigijs operatur in vobis fidem, & pericit in vobis gratias & beneficia sua, quæ per Evangelium seu Christum creditis obventura vobis. Quid, quæso, genuinis iste juxta Patres & Interpretes Sac. Scripturæ sensus quid facit ad concursum supernaturalem & elevationem objectivam? non solum non patrocinatur, sed etiam illi adversatur. Siquidem objectum Fidei Formale statuitur Verbum DEI ut DEI, non hominum, aut Angelorum. & per hoc DEUS operatur in Thessalonicensibus consensum fidei; postquam illud externis signis fecit evidenter credibile. Unde sic argumentari possumus. Quemadmodum Thessalonicenses ad fidem inducuntur & moventur ad assensum, ita nos Fideles inducimur & movemur. Sed Thessalonicenses inducuntur signis externis, ut objectum formale

male seu Dei verbum à Paulo prædicatum credibile iudicat: & per istud ad assensum Fidei movetur. Ergo & Nos Fideles sic inducimur & credimus.

XXXI. Secundæ Probationis ibidem ex Sac. Scripturæ Matth. 7. v. 28. Sensus est, turbam auditâ prædicatione & Sapientiâ Christi fuisse super doctrinam ejus admiratam; non autem dicit Evangelista, eandem turbam efficaciam prædicationis ejusdem, esse motam ad credendum, illum esse Filium DEI, promissum Messiam &c. Quid iterum iste Sac. Scripturæ sensus facit ad concursum supernaturalem & elevationem objectivam? Multi etiam sancti viri ferventi suâ prædicatione valde perculerunt animos auditorum, an idcirco illorum sermones postea typo mandati fuerunt Scripturæ divinæ? Tertia probatio nihil minus evincit, quam Supernaturalem concursum & elevationem objectivam. Esto enim, quod dicitur in Antecedente, Revelatio divina in Scripturis per se nihil contineat præter verba, & res per illa significatas; nunquid extrinseca motiva accedere possunt, quibus ita revelatio illa evadat evidenter credibilis, ut voluntas imperare possit intellectui assensum fidei eidem revelationi dandum? Ad hæc fatetur Musæus, ut diximus, supernaturalem concursum omni viatori esse obscurissimum, quomodo ergo in notitiam alterius ignoti trahere potest? Videatur Vitus Eberman in Trophæis Romanis S. Cathol. Ecclesiæ 4. sol. 22.

Partitio Operis Polemici.

XXXII. Restat Partitio Operis Polemici, quæ Rex dictis haud difficulter conijci potest. Nam cum Theologia Polemica versetur circa Sacram Romanæ-Catholicam Fidem tanquam circa Castrum summi momenti, extra quod nulli pater ad cælum via, ut hanc Fidem ab hæreticis malignè oppugnatam defendat, propaget, & fundamenta solidissima atque inex-

pugnabilia habere debet, quæ sunt Authoritas S. Spiritus per S. Scripturam loquentis: Item Authoritas Christi partim per suum Vicarium summum Pontificem, partim per totam Ecclesiam doctis. At verò cum sola Fides absque operibus neutiquam sufficiat, sicuti fundamenta in Castro sine vallibus eductis frustranea sunt, opera quoque, quæ illam cetera valla circumdant, adesse, declararique debent tum ipsamet, tum eorum principia, tum peccata, quæ bohis operibus opponuntur. Demum ut Castro bene provisum sit, varia subsidia ei necessaria sunt, quæ Fidei Catholice minimè desunt; hæc enim subsidia sunt Sacro Sancta Sacramenta; quibus abundantissimè, & magis quam ulli Castro, est fidei prospectum.

XXXIII. Itaque quæ hodie de Fide & Religione controversantur, in præsentem opere Polemico in octo summos Titulos (qui tamen subdividi interdum possunt) redigemus, & agemus, I. de Sacra Scripturâ. II. de Christo. III. de Ecclesia tam in communi, quam in specie de Militante, Patiente, & Triumphante. IV. de Summo Pontifice ac Concilijs, quæ velut Corpus dependent ab illo tanquam Capite. V. de principijs bonorum operum, libertate scilicet & gratia. VI. de bonis operibus tam in communi, quam nonnullis in specie VII. de oppositis illorum malis operibus ac peccatis VIII. denique de subsidijs eorundem bonorum operum seu Sacramentis. Singulas autè sub his titulis controversias eâ methodo tractabimus, quam ad initium hujus ingressus indicavimus. *Christus IESUS, Beatissima DEI Mater & Virgo MARIA, omnes Sancti Angeli ac Beati cæli Incole gratiâ ac favore suo ceptis nostris adsint, & ad finem præfixum ac fructum operatum feliciter perducant.*

* * *

✠:(IHS.):✠



CON.



IHS.

CONTROVERSIA I.

AN QUILIBET IN SUA FIDE SALVARI POSSIT, MO-
do honeste vivat: & praesertim si potissimos articulos de S. S. Trinitate & Christo
in Symbolo Apostolico contentos credat?

¶ I. 50



Callidissimus Mortalium Sedu-
tor daemon, ut miseros Homines
suis jam irretitos laqueis suavius
in iisdem retineat, dulce hoc eis
conciliat somnium: *In sua quemq;*
fide salvari posse, modo honeste vivere studeat. Ut sub
hoc specioso veritatis praetextu humanae cupidi-
tati suas laxent habenas, carniq; ac promissae si-
mul saluti blandiantur. Atq; istud deliramentum
placet hac praesertim additione veluti saccharo
conditum: *Si fides illa potissimos de S. S. Trinitate ac*
Jesu Christo Salvatore articulos in Symbolo Apostolico
contentos complectatur.

II. Hinc in ultimis Comitibus Imperialibus Ra-
tisbonae Anno 1653. & 1654. item ante ac post
illud tempus saepe alibi multi palam edixerunt,
hanc se Religionem tenere. Viri quoq; Sapien-
tes, qui de rebus Fidei frequenter agunt cum
alijs cujusvis status ac conditionis hominibus,
clare deprehenderunt, hanc persuasionem vanis-
simam alias jam agere radices in multorum cor-
dibus Summorum aequae ac Infimorum, qui vo-
cabulo ad rem significandam non inepto haere-
sim suam vocant *Adiaphoriam* seu *Indifferentis-
mum*, eique adherentes inde appellant *Adiapho-
ristas* seu *Indifferentes*; non male eisdem etiam *Am-
phidoxos* dixeris.

III. Ab hac *Adiaphoria* Georgij Calixti Helm-
stattenfis Professoris Theologi non abludit ultima
Fidei confessio, quam ante paucos annos morti
proximus edidit: *Ego, inquit volo mori sub Capite-
Christo, & in Fide vera Catholica Ecclesia, & in Charita-
tate illorum omnium, qui Deum Patrem, Filium & Spi-
ritum Sanctum sincere honorant & amant. Ego nolo*
damnare illos, qui errant in questionibus non necessarijs,
& spero etiam Deum mihi condonaturum, si ego, uti
*feri potuit, in similibus erravi. Ego agnosco & confi-
teor nullum alium Authorem & Caput salutis meae,*
quam Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, in
cujus Nomine baptizatus fui. Ego etiam non agnosco
*alterius merita, quam Unigeniti Filij Dei Nostri Salvato-
ris Jesu Christi. Ita ex oratione funebri ejusdem*
in Academia dicta.

IV. Hujus suaviloqui ac mendacissimi som-
ni sibi longe exfufflantur omnes controver-
siae, & laboriosae de rebus Fidei disceptationes;
quid enim huiusce opus, si in sua quilibet fide sal-
vus fieri possit modo interim honeste vivere stu-
deat, si praesertim fundamentales articulos S. S.
Trinitatis ac Christi teneat? ad quid unius verae
ac salvificae Fidei & Ecclesiae longa sollicitaque
indagatio, si vel omnibus omnino, vel saltem
cunctis haereticorum Sectis concessum sit, quod
nos Romano-Catholici uni veraeque Christi Ec-

clesiae & fidei adscribimus, quod scilicet Cul-
toribus suis salutem certe tribuat, & ad felicem
aeternamque beatitudinem securè perducatur?

V. Quapropter ne inaniter in controversiam
vocemus, quoniam ex pluribus sit illa Ecclesia,
quae sua solius fide ac doctrina salvare homines
possit, ante omnia praedictum somnium nobis
discutiendum, atque ostendendum sumemus,
illud longè vanissimum ac falsissimum esse, me-
rissimamque Infernalis Morphei illusionem; id
quod hac instar praeludij praevia Controversia
(quae tamen omnium reliquarum numerum in-
choet.) Superis faventibus, praestabimus.

VI. Non est autem nobis animus, hic con-
tra Paganos & Haereticos agere, horum haeresin,
infidelitatem illorum refutando, sed solum Ho-
mini Christiano ostendere, *Adiaphoriam* seu *In-
differentiam* credendi non esse talem Religionem,
quae salvare animas certò valeat, quasi Ecclesia
& Fides Christiana ex omnibus quaelibet Secta-
toribus suis vitam salutemque aeternam conferre
possit. DEUS enim, ut homines ad Coeleste
suum regnum admittat, non quavis ratione
coli & adorari ab his debet, sed quomodo ipse
statuit & gratum habet: *Una Incorrupta Catholica*
Ecclesia, non in qua sola unus Deus colitur, sed in qua
sola unus Deus pie colitur. August. contra Cresco-
nium Lib. 2 cap. 29.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLI- CORUM.

I. **D**octrina Prima. Una est tantum vera
Christi Ecclesia, quae homines salvare
aeternum valeat: & haec est sola Ro-
mana Catholica. Hanc doctrinam suo loco fuse
& solide probabimus. Nunc sufficienter verba D.
Athanasij in Symbolo ab A catholicis recepto,
ubi dicitur: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia*
opus est, ut teneat Catholicam Fidem (in Ecclesia so-
lum Catholica existentem) *quam nisi quisque inte-
gram inviolatamque servaverit, salvus esse non poterit.*
Item huiusce clariora ista S. Fulgentij ad Petrum
Diac. de Fide: *Firmissime tene, ac nullatenus dubites,*
*quemlibet haeticum, sive Schismaticum in nomine Pa-
tris & Filij & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesia*
*Catholica non fuerit aggregatus, quantascumq; elemosy-
nas fecerit, nullatenus posse salvari. Verbo, qui non*
creavit (fide viva in Christum) jam judicatus est.
Joan. 3. v. 18. & condemnatus, scilicet in DEI praes-
cientia, & reprobationis decreto.

Doctrina

II. *Doctrina Secunda.* Non potest quilibet salvari in sua fide etiam Ethnica, Turcica, Judaica, &c. etiamsi interim honeste vivat. Ita non solum Catholici omnes, sed plerique etiam Sectarij.

Probatur 1. Nemo salvari potest absque vera supernaturali & divina Fide, quae nititur auctoritate Dei testificantis, & sit donum Dei; sic enim divina habent oracula. Hebr. 11. v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Marc. 16. v. 16. *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Joan. 6. v. 11. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit.* Ephes. 2. v. 8. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Sacrae Scripturae consonant Patres & Concilia, e quibus Trident. Sess. 6. cap. 8. ait: *Fides est humana salutis initium, fundamentum, radix omnis justificationis, sine qua impossibile est, placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Atqui Pagani, Turcae, ac Judaei adherentes Sectae suae non habent veram ac divinam fidem, quae nititur auctoritate Dei testantis. Nam Ethnici omnino non credunt unum Deum Caeli Terraeque Conditorem, bonorum ac malorum operum Remuneratorem: Turcae autem ac Judaei, tamen hoc teneant, ea tamen fides non est vera ac divina ex testimonio Dei, sed nititur solum humana auctoritate & motivo; siquidem Turcae, quando credunt ea, quae in Alcorano suo continentur, pro ratione credendi usurpant auctoritatem Mahometis scelesti ac falsi sui Prophetae: Judaei vero, quando aliqua in Scripturis contenta admittunt, credunt ea propter auctoritatem Rabinorum suorum seu Doctorem hoc vel illo modo interpretantium. Ergo nec hi, nec illi in sua fide salvari possunt.

III. Probatur 2. Quicumque eandem participant Naturam, eundem quoque praefixum sibi habent finem, eademque iis ad hunc finem necessaria sunt media, sine quibus obtineri illi finis nequit; ut patet in primis rerum elementis; Sic enim omnes Ignes, cum eandem habeant naturam, videmus scandere sursum, atque in hunc finem exigere levitatem: Sic quoque omnes Terrae portiones, cum eadem consent naturam, cernimus moveri deorsum, atque idcirco requirere gravitatem. Et sic de alijs loquendo. Atqui omnibus hominibus, ut ut alias linguis, moribus Regionibus, ac officijs longe diversissimis eadem est natura rationalis; Omnes quippe ad *Imaginem & Similitudinem Dei* facti sunt Gen. 9. v. 6. Ergo omnes eundem quoque habent finem, nempe Contemplationem Dei, ut ait S. Gregorius ex illo Joan. 17. v. 3. *Hec est Vita aeterna, ut cognoscant te solum Verum Deum;* Unde & notum illud: *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Ergo & eadem illos media habere oportet, sine quibus perveniri ad finem illum non potest; inter quae media primum maximeque necessarium est Fides divina, cui tanquam finis, clara Dei visio succedit juxta illud 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ergo cum hoc medio, Fide scilicet divina tam implicata, quam explicita careant Pagani, Turcae, Judaei (siquidem CHRISTUS & hujus Passio istis est Scandalum, Illis autem stultitia 1. Cor. 1. v. 13.) finem quoque eundem nobiscum participare, & aeternam Beatitudinem obtinere nequibunt.

IV. Probatur 3. Si quisque etiam Paganus,

Turca, Judaeus in sua fide sive Ethnica, sive Turcica, sive alia quavis salvari potest, cur DEUS in Sacra Scriptura tam frequenter tam graviter prohibet fallum Deorum Cultum, nec alio se ritu coli permittit, praeterquam a se praescripto? cum nullus cultus ad finem ultimum obtinendum non sit aptus. Cur Idola confringi, & Deos Deaque omnes exturbari, ac eorum cultores severe puniri mandat? cum ex hoc praecise nihil fiat, quod cuiusquam Religioni non sit consentaneum, eumque a salute impediat, modo interim honeste vivat. Cur CHRISTUS Homo factus tot miracula perpetravit, ut Messias, & Mundi Salvator crederetur? Cur tanta egit ac passus est, ac tandem in cruce inter Latrones exspiravit? cum nihil horum ad salutem fuerit necessarium. Hoc modo ratiocinatur Apostolus Galat. 2. v. 21. *Si per legem iustitia.* Ergo gratis CHRISTUS mortuus est? Cur denique Apostoli in omnes terrae partes se penetrarunt, tot labores & molestias exantlarunt, tot Carnificinas sustinuerunt, tot sanguinis flumina effuderunt, & ut verbo dicam, per omnia tormentorum genera incedentes vitam ultimam posuerunt? Profecto quemadmodum haec nemo prudens velut minus recte ac laudabiliter, vel frustra facta dicere ausit, ita nullus sanae mentis homo cogitare potest, in sua quemlibet fide salvari posse; esto etiam DEUM, caeli terraeque conditorem cum Judaeis ac Turcis confiteatur. Plura pro hac 1. veritate mox in 2. dicentur.

V. *Doctrina tertia.* Non potest quisque salvari in sua fide, quantumvis potissimum, seu fundamentales articulos de Sanctissima TRINITATE, ac CHRISTO Domino, caeterosque in Symbolo Apostolico teneat; si interim alios fidei articulos sufficienter propositos, aut etiam unum ex istis non credat, sed discredat. Ita omnes Romano-Catholici.

Probatur 1. Apostolus Ephes. 4. v. 5. dicit: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Et 1. Cor. 10. v. 17. *Quoniam unus panis, & unum Corpus multi sumus.* Unde etiam Christiana Fides dicitur *unum Regnum*, Daniel. 2. v. 44. *Una Domus*, Matth. 24. v. 45. *Unum ovile*, Ioan. 10. v. 16. *Unum Matrimonium*, in quo Christus est Sponsus, Osee 2. v. 19. & Ephes. 5. v. 17. ex quo sic argumentamur. Quaecumque Ecclesia seu Fides non habet Unitatem in Sac. Scriptura asseritam, illa non est vera & salvifica Fides & Ecclesia: Atqui Adiaphoria ista, seu Religionis Indifferentia apud eos, qui Sanctissimam TRINITATEM & CHRISTUM confitentur, non habet praedictam Unitatem. Ergo non est vera salvifica Ecclesia & Fides. Major constat ex locis scripturae recens adductis; & hanc unitatem Christus validis precibus rogavit a Patre suo Ioan. 17. v. 11. *Pater Sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint Unum, sic ut & nos.* Nec dubium est, quin exauditus sit pro reverentia sua Hebr. 5. v. 7. Probatur Minor. Omnes omnino sectae dissentiunt in uno saltem alterove articulo Fidei ab Ecclesia Romano-Catholica hoc ipso, quod ab ista damnentur & rejiciantur. Ipsae autem sectae in rebus Fidei nec paucis nec levibus dissentiunt inter se, & e diametro opposita tenent, ut Henricus Eckardi in praefatione fasciculi controversiarum ad Christianum II. Saxoniae Electorem dicit, *non magis inter Calvinistas & Lutheranos, quam inter CHRISTUM & Belial fraternitatem iniri, aut conjunctionem fieri posse.* Idem de quibusvis alijs Sectis sentiendum, quarum

quarum singulae suis peculiariis erroribus mordicus adherent. Cum igitur divinae paginae testentur Marc. 3. v. 23. & Luc. 11. v. 17. *Regnum in se ipsum divisum desolabitur, & non potest stare*; quis sanæ mentis homo persuadere sibi potest, Christum tale Regnum, hoc est, Ecclesiam ita divisam, scissam, & laceratam ædificare voluisse? Quippe certo certius est, ubi universalis Ecclesia Christi ex diversis aded Sectis compacta est, ibi unitatem in eâ nullam esse posse. Ergo cum Adiaphoria unitatem non habeat, vera Christi & salvifica Ecclesia esse non potest.

VI. Probatur 2. Adiaphoriæ, seu Opinioni, quod quilibet in sua fide Christianâ salvari possit, apertissime oppositum tenuerunt Apostoli. Nam licet Hymeneus, Alexander, Philetus, & alij olim Hæretici in Christum crederent; quia tamen de resurrectione diversum quid ab Ecclesiâ Christi sentiebant 2. Tim. 2. v. 17. per Divum Paulum manifestè damnati sunt. 1. Tim. 1. v. 11. *Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragarunt, in quibus est Hymeneus & Alexander, quos tradidi Sathanae.* Apostolorum exemplo & vestigijs insistent omnibus retro ætatibus Catholica Ecclesia illos, qui vel utro à Fidelium congregatione se separarunt, vel Ecclesiæ Sententiâ ab eadem abscissi fuerunt, damnatos & salutis expertes censuit. Et profectò qui hanc tam firmam Universæ Ecclesiæ sententiam in supremo æternæ salutis negotio contemnit, vilis animæ, profligataeque mentis homo est, quantumvis in auro & purpurâ splendens circumeat.

VII. Observatione autem dignum est, quod D. Paulus in citatis verbis ad Timoth. amissionem Fidei comparet naufragio: *circa fidem naufragaverunt*; quâ phrasi significare Apostolus vult: sicuti in naufragio omnium pariter bonorum fit jactura, ita per recessum ab hoc Fidei articulo totam fidem amitti; adeoque hoc fidei naufragio jacturam fieri omnium donorum spiritalium. Nunc subsumo sub hac Majore: Atqui Amphidoxi seu Indifferentes errant pertinaciter vel in hoc, quod putent, quemlibet in sua fide (saltem si fundamentales articulos teneat, & Symbolum Apostolicum confiteatur) salvari posse; Ille quippe est error manifestus in fide, ut tenent omnes Catholici, & damnatus in Bulla Pij IV. Summi Pontificis super forma Juramenti professionis Fidei. Ergo naufragantes perdunt totam fidem Christianam. Ergo miseris non patet amplius Via ad salutem, quæ oclusa est Hæreticis, quorum infelicem numerum auxere.

VIII. Probatur 3. Ad Salutem & æternam Beatitudinem consequendam non minus est necessaria Fides, quam Charitas aut Vita integritas: necne magis voluntas rectificari desiderat, quam intus lectus. cum utraque ista animæ vis ideo fuerit concessa, ut sic in Deum & beatitudinem recte consideremus. Ergo quemadmodum ad voluntatis rectitudinem non sufficit unius aut alterius mandati observatio, sic ad intellectus rectitudinem non satis est unum aut alterum, vel etiam totum Symbolum Apostolicum credere, sed Fides extendere se debet ad omnia, quæ Deus revelavit, & per Ecclesiam sponsam suam dilectissimam credenda sufficienter proposuit. Quemadmodum enim offendens in uno mandato Dei, factus est omnium reus Jacob. 2. v.

10. ita denegans fidem uni articulo, omnibus eandem sustulit. Cujus ratio est, quia non magis lex perfecta est, ut æternam Dei Justitiam repræsentet, quam Ecclesia vera sit in doctrina, ut æternam Dei sapientiam nobis exhibeat, & ab hac dirigatur, juxta illud Ioan. 16. v. 12. *Cum autem venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Perinde igitur ut unum peccatum facit hominem reum totius legis quoad pœnam æternæ damnationis, sic maculat unus error in fide universam Ecclesiam, & tollit ab eâ securitatem veræ ac salvificæ doctrinæ; Est quippe pretiosa margarita, quæ maximè æstimatur, quâmdiu integra manet: contemnitur verò divisa in partes. Unde D. Nazianzenus oratione 31. *Quacunq; inquit, margarita obleta fuerit, tota ejus gratia extinguitur; aut Deum totum cole, aut totum contemne, nolo dimidiatam partem.* Eadem Fides comparatur annulo. Atqui non censetur annulus post fractionem, sed solum si integer fuerit. Huic concordat nobilissima illa D. Athanasij sententia in Symbolo (quod apud ipsos etiam Adversarios Authoritatem obtinuit) *Quicunq;, inquit, vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quis integram inviolatamq; servaverit, absq; dubio in æternum peribit.*

IX. Cujus Regulæ observantissimi Catholici Majores nostri, cum olim ab eis peterent Arianj, ut saltem unam vocem omitterent, quæ non habetur in Scripturâ, nec in Symbolo Apostolico, vel unam litteram immutarent, id est, non dicerent *quodammodo*, sed *quodammodo*, & si hoc fecerint, pacem pollicerentur; Catholici noluerunt, & Imperatori scripserunt, nefarium esse de rebus jam definitis aliquid immutare, ut testatur Theodoretus lib. 2. Hist. cap. 18. & 19. Jam subsumo: Atqui Adiaphoria, seu Indifferentia credendi errat gravissimè vel in hoc suo effato, quod quisque in sua fide salvari possit, modò Christum confiteatur, & fundamentales articulos Symboli Apostolici amplectatur, ut taceam quosvis alios errores tum communes omnibus sectis extra Romanam Ecclesiam, tum singulis peculiare; Sicuti enim omnes Sectæ errant rejiciendo Romanum Pontificem, ita nominatim Lutherani, asserendo solam fidem sufficere ad salutem: Calvinistæ affirmando, CHRISTUM in Eucharistiâ non esse realiter præsentem: Wicleffistæ docendo, nullum esse Dominum Civilem, nullum esse Prælatum, nullum esse Episcopum, dum est in peccato mortali: Anabaptistæ volendo, non esse parvulos baptizandos, & si baptizati sunt, eosdem, postquam adulti facti fuerunt, esse rebaptizandos: Et sic de alijs &c. de quibus rectè dixeris, quod de Donatistis Augustinus in Psalmum 54. *In multis sunt mecum, in paucis non mecum: Sed in his paucis, in quibus non sum mecum, non profunt illis multa.*

X. Probatur 4. Adiaphoria seu Religio tam Ecclesiam Catholicâ, quam omnes alias, aut saltem Recentiores Sectas Christianas Lutheranam, Calvinianam simul complectens, non habet, nec confiteatur Symbolum Apostolicum quoad rem ipsam & legitimum sensum. Ergo juxta ipsam in sua quisque fide salvari non potest. Antecedens per aliquos articulos singillatim ostendimus:

Nam articulum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, Catholici & plerique ex Sæcularijs ita intelligunt, ut affirment, Deum latiore significatione verè omnium hominum esse & dici Patrem: Eundem esse reverâ Omnipotentem. Ne-

gat prius horum Beza Calvinista Volumine 1. fol. 334. & 335. Alterum quoque negat eodem Volumine fol. 299. ubi ait: *Dictum illud, Deo esse omnia possibilia, habere exceptionem, quem sequuntur Anton. Sadeel tom. 3. pag. 33. & Joan. Piscator Volumine 1. pag. 77.*

Articulum: *Et in Jesum Christum Filium ejus Unicum &c. aliter explicant Catholici & Lutherani, qui juxta Symbolum Athanasianum Filium Æqualem & Consubstantialium faciunt Patri: aliter multi Calvinistæ post Arianos, qui Filium Patri statuunt minorem ex Magistro suo Calvino, qui admonit. ad Polon. f. 793. si Pater, inquit, suum esse habet à se: Filius suum esse habet à Patre: Spiritus ab utroque, an non tres essentia emergunt?*

Articulum: *Crucifixus, Mortuus, &c. ita sumunt Catholici omnes, ut credant Christum pro omnibus Homnibus mortuum: discredunt Calvinistæ sibi vanè persuadentes, Christum pro solis Electis fuisse mortuum. Unde Arecius parte 2. Problem. pag. 388. ait: Falsum est, quod Christum dicunt omnibus datum Redemptorem, cum Judæ non sit: & in summâ, omnium desperantium atq; damnatorum; Similia habent alij post Calvinum in primam Joan. 2. v. 2. Item in cap. 17. Joan.*

Articulum: *Descendit ad Inferos &c. aliter accipiunt Catholici, nempe Christi animam à corpore separatam secundum substantiam suam descendisse ad limbum Patrum: aliter Hæretici, quorum aliqui volunt, Christum descendisse ad Inferos, nihil esse aliud, quam sepultum fuisse: Alij Christum passum dolores Inferni, ut Lutherani apud Joannem Gerhardum Lib. 2. part. 1. fol. 312. quibus addunt Calvinistæ, eum etiam post mortem poenas damnatorum sustinuisse ex Magistro suo Calvino lib. 2. Instit. cap. 16. §. 10. Ed quod sola corporalis Christi mors nihil nobis profutura fuisset, &c.*

Articulum: *Ascendit ad Celos, &c. aliter intelligunt Lutherani Ubiquistæ: aliter Calvinistæ, & Catholici, qui ubiuitatem corporis Christi negant, probè gnari, per eam everti totum penè Symbolum, Christi que Incarnationem, Nativitatem, Passionem, Mortem &c.*

Articulum: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos aliter exponunt Catholici, qui dicunt, Deum ita Judicaturum, ut suum reddat præmium operibus bonis, malis poenam: Aliter Calvinistæ, & Lutherani, qui operibus bonis omnem mercedem negantes solius Fidei specialis rationem in Judicio habitum iri censent.*

Articulum: *Sanctam Ecclesiam Catholicam Lutherani & Calvinistæ interpretantur de Congregatione Invisibili Prædestinatorum: Catholici de Visibili Orthodoxorum, inter quos & Prædestinati multi, & multi reprobati.*

Denique ut alia præteream, Articulum: *Remissionem peccatorum aliter sumunt Hæretici, qui fingunt peccata solum tegi, non imputari, nullam autem internam fieri renovationem per justitiam inherentem, & dona infusa: Aliter Catholici, qui agnoscunt interiorem hominis renovationem per gratiam sanctificantem, quâ formaliter ac verè peccata tolli & deleri docent. Videantur Laurentius Forer in lib. cujus titulus: *Symbolam Catholicam seu Pontificium collatum cum Symbolo Apostolico, Lutheranorum & Calvinistarum.* Item DD. de Walenburch Tom. 2. à fol. 588. ubi ostendunt, à Marco Antonio de Dominis nequicquam conci-*

liari Lutheranos & Calvinistas aliosque Sectarios in Symbolo Apostolico. Et Tom. 1. ubi à fol. 426. fusè declarant, quomodo Symbolo Fidei, quo utitur Romana Ecclesia, hæreses Calvini & aliorum contrariantur.

XI. Cum igitur in genuino Symboli sensu tanta sit Opinionum diversitas; Veritas autem Una tantum existat, eaque itet ex parte Ecclesiæ Catholicæ, quæ est columna veritatis 1. Timot. 3. v. 15. clarè evincitur, Adiaphoriam non habere, nec confiteri Symbolum Apostolicum ac Fidei. Quomodo enim fieri potest, ut qui contrarijs eisdem articulis sensibus credunt, verà tamen fide, utrinque censeantur credere? Cerrò hoc aliud non foret, quam admittere, contraria simul vera esse posse; aut non requiri in homine, ut vera credat, sed falsa etiam credentem salvari posse, ad eoque non Christianos tantum, sed etiam gentiles ad hoc Adiaphoristarum Cælum admitti oportere, quod est Fidem de Fide tollere, falsitatemque cum veritate in pari throno collocare. Taceo, Sectarios non credere totum Symbolum Apostolicum ex revelatione Dei summè veracis, prout ab Ecclesiâ Catholicâ proponitur, quam audire spernunt solâ autoritate Calvini, Lutheri, Zvvinglij in assensu suæ Fidei nitentes. Quantumcunque igitur Adiaphoristæ Symbolum Apostolicum jactent, vanissimè id faciunt, cum in illo non exterior Verborum Cortex, sed interior intelligentiæ nucleus & divinæ revelationis motivum ad salutem conducant; *Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat* 2. Cor. 3. v. 6. Idem de Symbolo Niceno, Athanasiano &c. sentiendum.

XII. Probatur 5. Adiaphoria seu Indifferentia credendi, etiamsi ex hypothesis Symbolum Apostolicum integrum, & in legitimo sensu acceptum admitteret, tamen acephala esset, & vera Christi Ecclesia non foret. Ergo in suâ quisque fide Christianâ salvari non potest. Antecedens ostenditur ex eo, quod ad perfectam Veræ & à Christo ædificatæ Ecclesiæ Unitatem, quam ex Sac. Script. & Symbolo Niceno confitemur, omnino requiratur, ut unum ejus sit visibile Caput. Nam licet Christus propriè sit Caput, ut habetur Ephes. 1. v. 22. *Omnia subiecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est Corpus Ipsius*; quia tamen ipse non gubernat Ecclesiam immediate & visibiliter, fuit Moraliter necessarium, ut aliud Caput visibile constitueretur, à quo Ecclesia tota dirigeretur. Quemadmodum enim in Exercitu, in Regno, in Ovili, in domo, in Corpore humano unum est caput visibile, ita quoque in Ecclesiâ esse oportet, cum hæc dicatur *Acies Castrorum Ordinata* Can. 6. v. 20. *Regnum.* Daniel. 2. v. 24. *Ovile* Joan. 10. v. 16. *Domus* 1. Tim. 3. v. 25. *Corpus* 1. Cor. 12. vers. 12. Eadem Ecclesia 2. Corint. 11. vers. 2. Ephes. 8. v. 25. Apoc. 21. v. 2. comparatur *Sponsa*. Ergo habebit caput præter Christum, nisi sit sponsa in terrâ absque capite. Cerrè Cantic. 7. v. 5. Sponsus alloquens Sponsam ait: *Caput tuum sicut Carmelus*, cum prius cap. 5. v. 11. Sponsa de Sponso dixisset: *Caput ejus aurum optimum.*

XIII. Hoc autem supremum Ecclesiæ Christi Caput omnes Catholici agnoscunt Romanum Pontificem, & pro tempore Legitimum in Sanctissimâ Sede Petri Successorem ex illo Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; Ubi omnes ferè Patres & Interpretes sentiunt, Petrum esse Fundamentum Ecclesiæ,

stæ, non quidem primarium & principale, sed secundarium & Vicarium ipsius Christi, ut pluribus alibi ostendimus. Ex quo sic in rem præsentem argumentari licet: Quæcunque Religio non agnoscit sanctum Petrum, ejusque legitimum in Sede Apostolicâ Successorem tanquam Christi in terris Vicarium, & ei veluti supremo visibili Ecclesiæ Capiti non se subijcit, est Acephala, & non vera Christi Ecclesia, quæ animas salvare possit. Adiaphoria, quæ Lutheranos, Calvinistas, omnesque alios Sectarios complectitur, non agnoscit S. Petrum, Ejusque Legitimum in Sede Successorem, Romanum, inquam, Pontificem, nec ei tanquam Supremo Visibili Ecclesiæ Capiti se subijcit. Ergo non est vera Christi Ecclesia, sed Acephala, & animas salvare non potest. Majorem Bonifacius VIII. Papa in capitulum Unam sanctam, extra: de Majorit. & Obed. in hunc modum definit: *subesse Romano Pontifici, omni humana creatura declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.* Certè Aërius quoad sensum in Symbolo etiam conveniebat cum Catholicis; tamen quia nolebat subesse Episcopo, & cæteris membris communicare, ab Epiphano & Augustino in catalogo Hæreticorum vel ex hoc solum ponitur, etsi deinde alias etiam graves hæreses prodiderit. Et Cyprianus lib. 4. epist. 2. dicit, Novatianum esse extra Ecclesiam, quia non volebat subijci Pontifici Cornelio, etiamsi nullam aliam Hæresin introduxisset. Quare nemo potest, quantumvis velit, subesse Christo, & communicare cum Ecclesiâ cælesti, qui non subest Pontifici, & non communicat cum Ecclesiâ militante. Minorem ultro farentur ipsimet Sectarij, qui, ut in aliis omnibus mutabiles sunt, interque se divisi, ita in odio & abjectione Romani Pontificis constantes & unanimes persistent, ut jam olim D. Cyprianus lib. 1. epist. 3. & lib. 4. cit. epist. 9. omnium hæresum & schismatum pullulantium causam in eo statuerit, quod *Uni Sacerdoti ac Judici vice Christi non obtemperetur*; Causas autem, cur tanto odio in Pontificem ferantur Hæretici, breviter enarrat P. Contzen in Politic. lib. 6. cap. 21. & in ipsorum tantum Sectariorum malitiâ radicatas esse clarè ostendit. Ergo Adiaphoria in suâ quemque fide salvare non potest.

XIV. Probatur 6. Fides & Ecclesia Christi vera ac salvifica, ut agnosci ab omnibus, prudenterque assumi possit, habet motiva evidentia credibilitatis, ut indicat Christus Joan. 15. v. 22. supra in Ingressu S. XIV. cit. de ijs, qui non credebant, inquit: *Nunc autem excusationem non habent*, scil. postquam Fides in me Verum Messiam ex motivis exhibitis apparuit illis evidenter credibilis, & tamen non crediderunt. Atqui Adiaphoria, quatenus Lutheranismum, Calvinismum cæterasque Sectas Christianas complectitur, non habet talia motiva credibilitatis. Aut producant Adiaphoristæ ex omnibus vel unum, quo Secta sua orbi innotescere, & dogma istud (quemlibet in suâ Fide Christianâ salvari posse) persuaderi hominibus jure valeat. Ergo Adiaphoria in suis obscure later tenebris. Ergo non est Ecclesia Christi vera & salvifica, sed falsa, sed noxia, sed impia, & in orcum, unde prodijt, releganda, ad quem magnis etiam passibus properant, qui cæco illi impetu adhærent, & leves

corde credunt. Ecclesiastici 19. v. 4. Quod autem execrabilis ista Religionis umbra ostendere nequit, hoc luculentissimè exhibet Romano-Catholica Ecclesia, quæ non solum olim, sed etiamnum claret Viris Doctrinâ & Sanctitate insignibus, Miraculis plurimis in Fidei suæ confirmationem factis, fortissimis Martyribus pro eadem fide mortuis, ut abundè docent Annales Ecclesiastici, & alia rerum gestarum monumenta. Solus St. Franciscus Xaverius, dum nostris temporibus fidem modernæ Rom. Ecclesiæ novo Orbi importavit, miris plurimis patris & mortuis etiam ad vitam revocatis eam confirmavit, atque suis humeris ex gentili superstitione ultra decies centena millia Hominum ad eandem fidem & Ecclesiam deportavit. Quam idcirco dignam fecit, quæ ab omnibus susciperetur.

XV. Probatur 7. & ultimè ex triplici absurdo, quæ præter alia ex hac Adiaphoriâ seu Indifferentiâ credendi apertè deducuntur, & luculenter ostendunt, rectius ex istis absurdis prædictam Adiaphoriam veluti novum in orbe Christiano Religionis monstrum abijci, & contemni, quàm pluribus rationum monumentis ulterius impugnari.

Primum. Inter Christianos nullos esse, ac reperiri Hæreticos, Pseudopphetas, Magistros mendaces, Lupos rapaces, cum plerique omnes Christum confiteantur, & Symbolum Apostolicum venerentur; Imò nec Scripturam Veteris ac Novi Testamenti Verbo tenus respuant, juxta illud D. Hilarij lib. 2. ad Constantinum: *Memento, neminem Hæreticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturam predicare ea, quibus blasphematur, mentitur.* Ad quid ergo ab his cavere tam severè nos jubet Christus Matth. 7. v. 15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces,* & cap. 24. v. 11. *Multi pseudoppheta surgent, & seducent multos.* 2. Petri 2. v. 1. *In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent Sectas perditionis.*

Secundum. Eos, qui inter Christianos præter Symbolum Apostolicum nova introducunt dogmata, & pertinaciter tuerentur, non esse devitandos à Fidelibus, non oppugnandos à Prælati & Doctoribus, non prohibendos à Principibus & Magistratibus, non damnandos à Sacris Synodis & Capitulis; cur enim hæc adversus illos suscipiant, cum novâ suâ doctrinâ nulli noceant hoc ipso, quod illa citra jacturam salutis credi à quovis vel non credi pro libito possint; Et tamen eosdem devitari, oppugnari, damnari apertis verbis jusserunt Apostoli. Idem gravissimis orationibus & Scriptis præstiterunt Patres: Exemplo suaserunt Principes & Imperatores: Multis denique Canonibus, Sanctionibus, Anathematismis ab exordio Ecclesiæ illud ipsum docuerunt generales Conventus & Concilia.

Tertium. Adiaphoriâ istâ seu Indifferentiâ credendi semel admisâ, fatendum est, impiè perverseque Religionis causâ tor lites, dissidia, & bella fuisse suscepta: Delirare universos, ipsos etiam A catholicos, qui sibi in rebus fidei contradicunt, seque mutuo exagitant & acerbè perstringunt: Fatuos jure haberi, quotquot inter Christianos unquam pro sua fide & religione fortiter laborarunt, sudarunt, & decertarunt; Quorsum enim hæc, si omnes, cujuscunque Religio-

ligionis Christianæ existant, sint membra unius Ecclesiæ, sint Filij Dei, sint capaces æternæ beatitudinis, si modò Symbolum Apostolicum teneant? Imò fatendum est, ipsum Deum & erroris & Odiorum Fidei causâ susceptorem non Authorem modò, sed Fautorem ac Procuratorem per diversas Scripturas esse, & Charitate atque Unitate Ecclesiarum scisâ delectari, ac probare hæc diffensionum capita; siquidem ipse in unâ Fide completitur omnes illos, qui à seipsis inimicè dissident.

PARS POSTERIOR

ERRORES HAERETICORUM.

XVI. Error Primus. In sua quisque fide etiam Gentili, Turcica, & Judaica salvari potest, modò interim honestè vivat. Ita olim Ethnici, ut testatur S. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 51. quorum suos quilibet Deos colebant, eosque plurimos; Aliqui etiam universè omnes; & in horum consortium Israël Deum adscivissent libenter, si hoc ipse consortium ferre potuisset, ut narrant de Tyberio Tertullianus Apol. 5. de Alexandro Severo Lamprid. in Alexandro. de Romanis omnibus D. Augustinus de Consensu Evangelico cap. 12. & sequent. Non multùm ab his recedunt Turcæ, qui putant, modò Deus unus creator, & Judex unus credatur, cætera omnia libera & adiaphora esse. Sciendum, ait Mahomet Alcoran. cap. 1. & 5. generaliter, Quoniam omnis rectè vivens seu Judæus seu Christianus lege suâ relicta in aliam transiens, omnis, inquam, qui Deum unum adorât, bonumq; agit, divinum amorem consequetur. Idem tenent Franciscus Puccius Filidinus, qui in pestilenti suo libro, quem homo impudens Clementi VIII. summo Pontifici inscribere est ausus, sæpe repetit, Christianam fidem ad æternam salutem non esse necessariam, ratus utique ad salutem sufficere fidem unius Dei, eamque merè naturalem, ut expressè docet fol. 14. 19. & sequent. & multi alij Hæretici ac Politici, ut testantur Pater Leonardus Lessius in append. Consult. quæ fides sit capeffenda. Adamus Conzen lib. 9. polit. cap. 23. P. Nicolaus Serarius in Symbolo St. Ath. Thesi 41. & alij Authores.

Nituntur 1. autoritate Sac. Script. Matth. 8. v. 11. Dico autem vobis, inquit Christus, multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno Cælorum. 1. Tim. 2. v. 4. Deus vult omnes Homines salvos fieri. Et pro ipsdem mortuus est. Ha. 53. v. 6. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium Nostrum. Rom. 8. v. 32. Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. 1. Tim. 4. v. 10. Qui Salvator est omnium, maxime Fidelium; Ergo etiam Infidelium, Paganorum, Turcarum, &c. Act. 10. v. 2. Cornelius Centurio appellatur Religiosus, ac timens Deum ante etiam quam Jussus erat accersere B. Petrum, ut ab illo Fidem doceretur.

Nituntur 2. autoritate Doctorum: Nam sunt, inquirunt, in Ecclesiâ Romanâ Doctissimi Theologi, qui negant ad salutem requiri fidem strictè sumptam; quâ credatur aliquid propter Testimonium Dei revelantis. Aliqui igitur ex istis,

ac nominatim Andreas Vega lib. 6. in Trident. cap. 20. & 21. tenent, eum, qui invincibiliter ignorat, aliquid esse revelatum à Deo, dummodo legem naturalem cognoscat, & secundum eam vivat, posse absque ullâ cognitione supernaturali salvari, id est, gratiam & gloriam consequi. Fundant se in illo Scholasticorum axioma: Facienti (Homini adulto) quod in se est, Deus non denegat gratiam suam. Alij apud Cardinalem de Lugo tom. de fide disp. 12. sect. 1. tradunt, ad salutem sufficere fidem latiore modò acceptam, hoc est, notitiam supernaturalem comparatam vel ex creaturis, vel ex alijs rationibus ostendentibus nobis bonitatem Dei, honestatem Virtutis &c.

Nituntur 3. Ratione & ajunt, incredibile videri, misericordissimum Deum, cujus misericordia non est numerus, tot Turcas ac Gentiles bene ac honestè viventes æternùm damnare propter unicum Fidei defectum, quod in ipsum non credant, cum præsertim vix appareat, quomodo media ad fidem veram acquirendam sufficientia habeant, quibus tamen ad salutem via negari ac præcludi non debet.

XVII. Error iste Sac. Scripturæ ita apertè repugnat, ut è Christianis nulli dubium de hoc esse possit. Quid enim D. Paulus in epistolis suis ad Rom. & Gal. molitur aliud, quàm ut persuasissimum faciat, nullum unquam, nisi per JESU CHRISTI Domini nostri fidem justificatum, aut justificandum; quod ipsum etiam faciunt Patres passim relati. Solum adducere lubet D. August. qui lib. 18. de Civit. cap. 47. scribit, neminem placuisse Deo ex antiquis vel Judæis vel Gentibus, nec pertinuisse ad spiritualem Jerusalem, nisi cui divinitus revelatus est verus mediator Dei & Hominum Homo Christus Jesus. Supple: nisi cui revelatus est saltem implicite, ut Augustinum explicat D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. Hinc Basileenses Georgium David, cum animas Infidelium & Fidelium, hoc est, Paganorum & Judæorum æque ac Christianorum salvandas affirmaret, jam mortuum effoderunt & cremarunt, ut refert Serarius in Symbol. D. Athanasij thes. 69.

XVIII. Respondetur 1. ad Scripturam. Certissimum esse, quod Deus omnes Homines etiam Paganos, Turcas, & Judæos velit salvos, & quidem seriâ ac syncerâ atque etiam efficaci voluntate ex parte suâ ministrando media (inter quæ imprimis sunt Sanctissima Ipsius mors, merita, fides, & Sacramenta) ad salutem obtinendam necessaria, quantum est ex se: At verò non vult omnes homines salvos voluntate absolūtâ, sed ex hypothesi, si etiam ipsi homines salvari velint, & præsent, quæ ab ipsis requiruntur, internas inspirationes admittendo, fidem ac baptismum suscipiendo, poenitentiam agendo, mandata observando. Ita Chrysost. Ambros. August. & communiter SS. PP. Sic CHRISTUS est Salvator non solum Fidelium, sed etiam Infidelium, quantum scilicet est ex se & parte suâ. Sic ad Fidem, Baptismum, & Ecclesiam Christi conversi Gentiles venient & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cælorum. Sic Cornelius Centurio postquam admisit divinam inspirationem, & concepit jam fidem aliquam supernaturalem de existentia & providentiâ Dei, paratumque animum habuit ad re-

liqua credenda, jussus est accersere Beatum Petrum, ut ab illo explicitam & distinctam Fidem de Mystero SS. Trinitatis, Incarnationis &c. doceretur, ut tradunt Augustinus de Prædest. SS. cap. 10. Hieron. in cap. 3. ad Galat. Gregor. Hom. 19. in Ezech. & alij P.P. apud Gammach. Tom. 2. Theol. fol. 504.

XIX. Respondetur 2. ad probationem ex auctoritate Doctorum. An in Ecclesiâ Romanâ plures sint doctissimi Theologi, qui negent Fidem strictè sumptam requiri ad salutem, planè ignoro, Unum vidi & legi Vegam. Si autem nonnulli tales sint, male id negant, & contra communissimam aliorum Doctorum sententiam. Nam D. Paulus in epist. Rom. & Gal. dum tam respectu Judæorum, quàm Gentilium Fidei necessitatem adstruit, apertè & ex instituto loquitur de Fide Christi, aut certè Dei revelantis auctoritate mixâ. Item 1. Cor. 2. v. 6. omnem humanam & naturalem rerum cognitionem tanquam ad salutem sufficientem rejicit. Demum Hebr. II. v. 1. ubi fides ad salutem necessaria describitur, eadem vocatur *sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium*; Cujus quidem generis objecta, non nisi supernaturali Dei revelatione cognoscuntur. Ibidem v. 6. Verba ejusdem Apostoli: *Accedentem ad Deum oportet credere*, non possunt intelligi de Fide illâ latâ, hoc est, de notitiâ Dei ex creaturis haustâ propter Trident. Sess. 6. cap. 6. expressè ajens, *verba illa D. Pauli intelligi de Fide illâ, quâ homo liberè movetur in Deum credens vera esse, quâ divinitus revelata & promissa sunt*. Notitia autem illa, quâ ex creaturis cognoscitur Deus earum Author, non est libera, sed necessaria, cum sit plerumq; evidens, prout etiam Authores isti fatentur. Eadem pro objecto non habet revelationem aut promissionem Dei, cum creaturæ non ostendant, Deum aliquid revelasse aut promississe; Revelatio quippe & promissio liberè fiunt à Deo, & potuit neutra poni etiam positis creaturis. Rationem hujus communissimæ doctrinæ assert D. Thom. 2. 2. qu. 2. art. 3. quam breviter sic formamus: Cum ad visionem Dei (in qua ultima hominis beatitudo consistit) intellectu & voluntate acquirendam nemo pertingere possit solâ vi naturæ, opus est, ut intellectus interveni cœlestis ac supernaturalis ductûs eò pertingat juxta illud Joan. 6. v. 54. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*. Atqui discere à Deo nemo potest quicquam, nisi Deo docenti & revelanti credat juxta illud Philosophi: *addiscentem oportet credere*. Ergo necesse est, credere Deo revelanti, ac proinde etiam aliquid ex Dei revelatione dependens.

XX. Axioma pro fundamento adductum non facit, quò minus ad salutem acquirendam requiratur fides supernaturalis, & propriè sumpta, sive illud intelligatur de homine faciente cum auxilio gratiæ prævenientis exhibitio quod in se est, uti explicant Vasquez, Valent. Medin. Tanner tom. 2. disp. 6. qu. 3. nu. 217. & hoc teste RR. communiter: Sive intelligatur de homine prævento per gratiam ordinis naturalis, & benè utente naturalibus cogitationibus à Deo immisfis, uti vult P. Franciscus de Lugo tom. 1. in 1. part. disp. 4.6. cap. 8. ajens, hunc sensum non mereri censuram ullam; siquidem nulla penitus admittitur connexio operum solâ vi naturæ sine

speciali gratia factorum cum auxilijs gratuitis vel intrinsicè vel extrinsicè supernaturalibus, ideoq; in prædictum sensum allegat Sanct. Thom. & plures alios Theologos.

XXI. Ex hoc eodem sensu prædicti axiomatis pulchrè apparet, quo pacto Deus homini providerit de medijs sufficientibus ad salutem ex voluntate illâ generali, quâ omnes cupit salvos; Item quâ ratione quilibet homo sui compos potentiam habeat, ut salutem à Deo cupitam consequatur. Nam etsi non habeat semper immediatam potentiam (quia non semper habet auxilia gratiæ) habet tamen potentiam, ut faciat, quantum est in se; tunc autem illi viribus naturæ bene uso non deerit Deus pro bonitate suâ ad auxilia gratiæ modo conveniendi recipienda, ita ut semper absolute & simpliciter potentiam consequendæ salutis habeat, sicuti præter alios docet pluribus Arriaga tom. 4. Theol. disp. 41. à num. 14. Quod si tamen ex Turcis & Paganis aliqui invincibilem Dei ignorantiam habuerint, isti non damnati fuerunt propter carentiam Fidei divinæ, seu infidelitatem negativam, sed propter peccatorum aliquod mortale, quod commiserunt contra legem positivam aut naturalem, tamen si forniferus vili sint honestè semper vixisse. Ita D. Tho. 2. 2. qu. 10. ar. 1. & communior Theologorum sententia, quæ non obscure traditur in Scripturâ Ioan. 15. cit. *si non venissem & locutus fuisset eis, peccatum non haberent*; magnum scil. illud infidelitatis juxta D. Aug. Tract. 89. ih Ioannem.

XXI. Ad 3. Probationem ex ratione patebit infra §. 42. Solum hic dico, Deus est quidem Misericors, sed & Iustus, justè pro salute certas leges ponens, atque secundum has procedens; quidquid enim Deus facit circa creaturas, vel est opus misericordiæ & benignitatis erga hominem: vel justitiæ peccatorum & violatarum legum vindictis. Es hoc modo intelligi potest illud Psal. 24. v. 10. Omnes viæ Domini Misericordia & Veritas. Itaque Iustitia Vindex occupat mediam, ut ita dixerim, Providentiæ & Gubernationis partem, & sicut Misericordia sperari, ita Iustitia timeri debet.

XXII. **E**rror Secundus. In suâ quilibet fide salvari potest, qui credit potissimos de SS. TRINITATE ac CHRISTO articulos in Symbolo Apostolico contentos; si interim alios ab Ecclesiâ sufficienter propositos non credat, sed discredat. Ita olim affirmarunt Pacificantes, quorum Dux fuit Zeno Imperator apud Evagrium lib. 3. cap. 14. & 30. Apelles Marcionista apud Eusebium lib. 5. Hist. cap. 13. Nostro ævo eundem errorem tuentur Marcus Antonius de Dominis, qui in libris suis de Rep. Eccl. nihil ferè aliud molitur, quàm ut persuadeat, non omnia ea credi ad salutem æternam debere, quæ à Romanâ & Catholicâ Ecclesiâ proponuntur tanquam fidei dogmata, sed solum quæ in antiquis Symbolis Religionis fundamenta adstruuntur, ut prodit in ipsâ statim expositione sui Consilij dictis libris præfixâ num. 14. Erasmus Roderodamus Lib. de Sa. Eccl. concord. Georgius Cassander lib. de offic. Pij viri. Bernardinus Ochjmus dial. 19. Theodorus Beza epist. 1. ad Andream Dudithium, ubi amicos Calvinij affirmat Lutherum, Zwinglijum, Oecolampadium, & hujus farinae Novatores, quasi à salutiferâ fide non alienos; quod idem facit

facit Joannes Crocius in vindicatione Anti-Becani part. 1. à fol. 13. ubi vehementer contendit, Lutheranos & Calvinistas in puncto veræ fidei non esse discernendos, sed æquè hos ac illos in sua utrosque fide salvos fore. Joannes Serranus in lib. cui Titulus est: De Fide Catholica sive Principijs Christianæ Religionis communi omnium Christianorum consensu semper & ubique ratis. Georgius Calixtus Professor Helmstadiensis in discursu de Verâ Christi. Eccles. cæterisq; suis scriptis. Et alij multi, ut testantur Nicolaus Serrarius in Symb. S. Athan. citato. Lessius loco supra cit. num. 9. Cardinalis Bellarminus tom. 1. Contr. 5. generali de membris Ecclesiæ lib. 3. cap. 19. Valentia Tom. 3. D. 1. Q. 2. pun. 6. &c.

XXIII. Probant 1. ex Sac. Script. quæ in Nov. Test. aliquoties salutem nostram tribuit Fidei in Christum. Marc. ult. v. 16. ait Christus: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Item Joan. 3. v. 15. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in Ipsum (Christum) non pereat, sed habeat vitam æternam. Et iterum Joan. 17. v. 3. Hæc est Vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Demum 1. Cor. 3. v. 11. ait Apostolus: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.

Confirmatur 1. Lacro Luc. 23. v. 43. Solum Christum fide tenuit, & audire meruit certam illam salutis promissionem: Hodie mecum eris in Paradiso: Ita scilicet verissimum est, quod ait Joan. 3. v. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam.

Confirmatur 2. Philippus Act. 8. à v. 27. Eunuchum potentem Candacis Reginae Æthiopum baptizavit; quis persuadere sibi potest, quod tempore tam modico illum docuerit aliud, quam Christum? quid ergo amplius ad salvificam fidem requiritur?

Confirmatur 3. Corinthij vocantur à D. Paulo Sancti ex solius Nominis JESU invocatione seu fide in Christum 1. Cor. 1. v. 2. quantumvis inter eosdem Schismata essent, ut patet ex cap. 3. v. 4.

XXIV. Probant 2. autoritate DD. Catholicorum. Salvianus Episcopus Massiliensis non sciri dixit, quomodo aliquando à Deo puniendi sint Gothi & Wandali infecti Ariana heresi, quâ nulla fuit gravior. D. Bonaventura lib. 3. Sent. dist. 25. distinguit inter credibilia antecedentia, constituentia, & consequentia, aitq; Prima esse Sac. Scripturâ, & aliqua Dei attributa lumine rationis cognoscibilia. Secunda vocat articulos 12 Symboli Apostolici, quæ necessariò credi oportet. Tertia sunt, quæ per consequentias ex prioribus deducuntur. Pius IV. Summus pontifex ad Elisabetham Angliæ Reginam declaravit sese, quod velit & librum liturgicum à parlamento approbatum, & totam Ecclesiasticam Hierarchiam suâ etiam autoritate confirmare, si modò illa Primatum Romani Pontificis, & autoritatem hujus supremam super universam Ecclesiam agnoscere velit.

XXV. Probant 3. Quicumque credit ea, quæ sunt necessaria necessitate mediæ & præcepti, potest salvari. Sed qui credit Symbolum Apostolicum, credit ea, quæ sunt necessaria necessitate mediæ & præcepti, quia in illis articulis continetur summa seu regula totius fidei Christianæ, ut rectè notat S. Augustin. serm. 135. de tempore, cum ait:

Symbolum est Regula fidei brevis & grandis, brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum. Ergo qui credit Symbolum Apostolicum, potest salvari. iam subsumunt. Atqui in omni Christianâ Religione sive Catholica, sive Lutheranâ, sive Calvinianâ, sive quavis aliâ creditur Symbolum Apostolicum. Ergo in quavis harum salvari quilibet poterit. Ita cum alijs discurrere Georgium Calixtum testatur Joannes Hülsenman Lipsiensis in lib. cui titulus: Calixtinischer Gewissens-Wurm, seu Vermis Conscientiæ Calixti post dedicationem.

XXVI. Hæc fundamentalis ratio. Confirmatur 1. Quæ CHRISTUS reliquit creditu libera, non debent obrudi populo tanquam necessaria Fidei dogmata. Sed major pars ex ijs, quæ hodie inter Catholicos & Protestantes controvertuntur, in secundo & tertio sæculo relicta fuit à Christo creditu libera; siquidem nihil eorum quisquam tunc credidit. Ergo jam non debent populo obrudi tanquam articuli Fidei ad salutem necessarij.

XXVII. Confirmatur 2. In Ecclesia Judaicâ præsertim ultimis temporibus fuerunt præcipui Pharisei, Sadducei, & Essenii, quibus populus adhæsit. Isti omnes Unum habuerunt Templum, unumque expectarunt Messiam: Nec alia tunc in terris fuit Vera Dei Ecclesia. Ergo sicuti Judæi inter diversitatem doctrinarum Unitatem fidei salvificæ retinuerunt, ita etiam inter Christianos potest unitas veræ fidei consistere inter diversas Religiones, quæ tamen omnes unum Symbolum, unum Deum, & Christum Salvatorem constituentur.

XXVIII. Confirmatur 3. Ecclesia Græca in paucis atque exigui momenti rebus dissidet à Romanâ. Potissima lis ferè nominis est de processione Spiritus Sancti, quem Græci dicunt procedere à Patre per Filium: non verò ab utroque, ut volunt Latini. Non etiam videtur Ecclesia Græca displicere Deo, à cujus providentiâ in hunc diem usque mirabiliter est conservata, per euntibus interea temporis alijs Sectis. Cur ergo inter has duas Ecclesias Fidei unitas esse nequeat, & consequenter inter plures alias in nullo etiam fundamentali articulo dissidentes?

XXIX. Confirmatur 4. Admodum pauci sunt, qui Romanæ Ecclesiæ adhærent. Nam si totus terrarum orbis in 24. partes dividatur, ex istis quinque sunt Christianæ: sex Mahometicæ: tredecim paganæ & infideles, omisso Judæis, qui certam loci sedem non habent. Quapropter si ex quinque illis partibus Christianorum sola Ecclesia Romana beare sua membra possit, minor Salvandorum erit numerus, quam credi prudenter queat. Videant ergo Romano-Catholici, ne ad instar Donatistarum simile quid olim sibi tribuentium risu excipiantur; siquidem major ipsorum numerus non est, quam Donatistarum, si ad alios Christianos quosvis comparentur.

XXX. Confirmatur 5. Ut plures in unâ constituentur Ecclesiâ, in eaque juxta sua quilibet dogmata salventur, aliud non requiritur in eis, quam unitas fidei fundamentalis; Reliquæ enim eorum dissensiones solummodo sunt fœnum, stipula, & ligna, quæ superædificantes fundamento pariuntur, quidem damnium, salute tamen suâ non excidunt. Atqui Lutherani & Calvinistæ habent eandem fidei unitatem fun-

damentalem: dissentiunt autem solum in sententijs, quas velut fenum & stipulas fundamento illi superaedificantes charitatem quidem laedunt, fundamentalem tamen unitatem non elidunt. Ergo utriusque saluari juxta sua quilibet dogmata possunt.

XXXI. Confirmatur 6. Ad Unitatem Ecclesiae saluificae non requiritur unio cum Romano Episcopo, veluti universae Ecclesiae supremo Capite. Nam hoc neque ex Sac. Script. neque ex Symbolo Apostolico, neque ex usu Veteris Orientalis & Occidentalis Ecclesiae ostendi potest. Qui etiam ex Indijs priori saeculo reversi sunt, & multa de rebus fidei Christianae inibi adhuc inventa retulerunt, nec minimam mentionem Papae fecerunt; Imò hanc Unionem antiquitus impossibilem fuisse asseruerunt. Ergo absque illa Unitas verae Fidei Christi inter plures Christianas Religiones stare potest.

XXXII. Confirmatur denique 7. ex eo maxime capite, quod Adiaphoria & Fidei Unio pacem & concordiam in Romanum Imperium, imò Orbem Christianum inducenda videatur. Unde quod in naturalibus advertunt, elementa qualitatatum contrariarum remissione in solida ac firma corpora attemperari: Quod in politicis vident, adversantes sibi partes mutuam in jure ac rebus cessione pacem & concordiam conficere: quod in arbitrarijs judicijs observant, moderatione aliquam pacificationem constitui, id etiam Religioni accommodandum censent, ut permitiendo hoc Catholicis, dando istud Lutheranis, concedendo id Calvinistis, alijs aliud indulgendo in certis tandem punctis fidei inter omnes conveniat, inq; ijs pax & concordia orbis Christiani obtineatur; quippe summum jus, ajunt, summa est injuria: & extrema omnia etiam in bonis sunt periculosa.

XXXIII. De Errore hoc Adiaphoriae sapientissime censet D. Augustinus, vix hominem sanae mentis inveniri, qui eum persuaderi sibi sinat. Unde haer. 72. sic scribit: *A Rhetorio quodam exortam haeresim dicit Philiaster nimis mirabilis vanitatis, quae omnes Haereticos recte ambulare, & vera dicere affirmat, quod ita absurdum, ut mihi incredibile videatur.* Et merito censetur incredibile à quolibet Viro prudente; siquidem aperte pugnat cum pluribus Sac. Script. textibus, & nominatim cum illo D. Pauli effato 1. Cor. 11. v. 19. *oportet haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant*; Has quippe haereses ab Ecclesia Christiana tollunt, qui omnes in Christum credentes servari posse autumant, cum nemo Haereticorum in hunc non credat. Imò quid contra totum Symbolum Apostolicum fecit Nestorius duas personas in Christo ponendo? Quid Pelagius peccatum Adami huic soli, non nobis nocuisse asserendo? Quid Eutyches duas Naturas divinam & humanam in unam confundendo? Quid Macedonius Spiritum Sanctum Filio minore dicendo? Quid Arius Filium Patri non consubstantialem ponendo? Quid alij Veteres? Quos tamen tanquam Haereticos etiam Imperatores legibus civilibus percellunt, & Christianorum privilegia jure civili his auferunt, ut videre est apud P. Contzen lib. 2. Polit. cap. 5. ubi etiam ex lib. 2. Cod. de Haeret. notat, eosdem Imperatores pro Haereticis declarare, qui vel levi argumento à judicio Catholicae Religionis, & tramite detecti fuerint deviare. Nihilominus

inveniuntur proh dolor hodie plurimi, qui hanc sibi Religionis larvam Adiaphoriam, inquam, persuadent, & dogma illud, quod St. Augustinus incredibile, insanum, atq; absurdum censet, ipsi prudens, pulchrum, rationiq; imprimis conveniens arbitrentur; Unde pluribus illud argumentis stabilire conantur, sed quae omnia in nihilum recidunt, si rite expendantur, ut constabit, itaq;

XXXIV. Respondetur ad 1. probationem ex Scriptura. Salutem nostram attribui Fidei Christi; vel quia Fides illius saltem implicita est necessaria necessitate medij, explicita necessitate praecipui: vel quia fides, qua salvamur, habetur ex meritis Christi. In specie ad 1. testimonium ex S. Marco dicimus, hoc intelligendum esse de eo, qui crediderit verè & praecite, ita ut nihil eorum recuset aut omittat, quae vi talis Fidei in Christum credi, & fieri ad salutem juxta explicationem Ecclesiae oporteat; alias si verba illa nudè & speculativè sumantur, nihil omnino praeter unicum in Christum fidem erit ad salutem necessarium, quod nec ipsi Adversarij concedent; sic enim non tantum opera bona rejici, sed etiam aliqui articuli ex Symbolo Apostolico citra iacturam Beatitudinis negari poterunt. Atq; in hunc sensum duo posteriora loca Scripturae ex D. Joan. accipi debent. Ad 4. testimonium ex 1. Cor. dicimus, non poni aliud fundamentum, quam Christum, si hic ipse & doctrina ejus rite in cordibus fidelium concipiatur; Ulterius tamen eidem identificari debere aliorum dogmatum notitiam, ac simul etiam alia Christiani hominis officia insuper explicanda esse, ex alibi dictis constat.

XXXV. Ad 1. confirmationem. Latronem à St. Cypriano & Augustino vocari *martyrem*, & *baptismo sanguinis ablutum*; martyrem, inquam, ob liberam Christi confessionem; & mortis pro eà (saltem ex animi praeparatione) constantem tolerantiam; quam praeparationem animi habuit etiam ad quidvis aliud credendum, quod Ecclesia Christi sufficienter propositura fuisset tanquam verum, ac de fide; Si diutius illum vivere contigisset. Ad textum ex Joan. 3. patet ex recens dictis.

XXXVI. Ad 2. Confirmationem. Ex Scriptura nihil aliud haberi, quam Philippum Eunuchum interpretatum fuisse Prophetam, & Christum eidem praedicasse; pro quo apud hominem prudentem & salutis suae cupidum non multo indiguit tempore, Deo internà & extraordinaria illuminatione peculiariter cooperante. Non autem videtur dubitandum, quin illi explicaverit Symbolum Apostolicum, & necessitatem Baptismi speciatim postulati, nec reliquerit eundem absque aliqua notitia Corporis Ecclesiae, cujus Christus est caput: ipse autem Eunuchus jam effectus fuit illius membrum, quod in omnibus corpori suo conformari debet. Verbo, Philippus instruxit Eunuchum pro tempore, statu, & capacitate, &c.

XXXVII. Ad 3. Confirmationem. Schisma Corinthiorum non fuisse inter homines pertinaces; etiamsi enim aliqui errarent, attamen docibiles erant & veritatis intelligendae cupidi, nec unquam reipsa se à se invicem separarunt; quod secus fit ab Haereticis. Lis quoque non fuit gravis, sed solum de praestantia majore Prædi-

Prædicatorum, qui Evangelium annu-
ciaverunt, tum tamen apud Hæreticos controversia sit de
ipsis fidei articulis; unde instantia hæc Corin-
thiorum non facit ad rem. Et quamvis in Ec-
clesia Corinthiaca dissensio hæc duravit usque ad
Clementem Papam, qui idcirco Epistolam ad
Corinthios misit, nunquam tamen res ad ruptu-
ram venit, uti tamen apud Sectarios contingit.

XXXVIII. Respondetur ad 2. probationem ex
Autoritate Doctorum. Salvianus vir vitæ in-
tegritate & Zelo divino clarissimus nihil contra
Fidem Catholicam dixit aut fecit, nec putavit
unquam, Gothos & Wandalos, aut alios sine fi-
de Catholica esse salvandos, sed in mores Chris-
tianorum præsertim Clericorum vehementius
invectus scripsit, severius olim istos sceleratos
Christianos & Clericos à Deo punitum iri, quam
illos Gothos & Wandalos, qui à suis Episcopis
seducti rectam fidem habere se putant, & pas-
siones suas ad honestatem morum majore studio
moderantur, ut ita ex horum exemplo illos ad
meliora induceret, & à vitijs abstereret.

D. Bonaventura mox declarat se, dicendo,
quod tam antecedentia, quam consequentia
sunt creditu necessaria, non quidem tanquam
dogmata principalia, sed ut articuli fidei in
Symbolo Apostolico radicati; Nullum, inquit,
est credibile à fide, quod non possit reduci ad articulos in
Symbolo contentos, sicuti ad principia dirigentia & sta-
bilia fundamenta. Et addit: Sic Articulus de Præ-
sentia in Eucharistia revocari potest ad articulum de
Omnipotentia Dei, vel ad articulum de Passione, &
morte Christi. Baptismus ad articulum de remissione
peccatorum, &c. Quibus verbis satis indicat San-
ctus Doctor, se cæteros fidei articulos non ar-
tere, etiam si illos in Symbolo contentos præ-
ferat, & potissimos censeat.

Quod Pius IV. Papa dicitur scripsisse ad Eli-
sabetham Angliæ Reginam, mera est fabula, &
probari nullatenus potest. Non fuit summus
iste Pontifex tam vecors, ut talem Monarchiam
Ecclesiasticam approbare, cujus supremum Ca-
put est Fœmina; cum Apostolus Mulieribus nec
loqui in Ecclesia permittat. 1. Corinth. 14. v. 34.
Quis etiam prudens persuadere sibi potest, Pa-
pam suam superioritatem pluris facere, quam
omnes fidei articulos, de quibus inter Catholi-
cos & Protestantes contròvertitur? Et quamvis
nonnulli Prædicantes Papæ potestatem Patriar-
chalem in Occidente concedunt, plerique tamen
alij Romanæ Urbis angustijs illam includunt.

XXXIX. Responderetur 3. ad probationem
ex ratione. Transeat Major, distinguendo Mi-
norem. Quicumque credit Symbolum Aposto-
lorum in vero & legitimo sensu nixus verâ ra-
tione ac motivo credendi, conceditur: secus ne-
gatur. Et sic distincto consequenti, negatur
assumptum; nam ex supra dictis constat, nec
Lutheranos nec Calvinistas nec alios ævi nostri
Sectarios vel Symbolum in genuino accipere
sensu, vel veram credendi rationem ac moti-
vum habere. Credunt igitur Symbolum præ-
dictum putativè tantum in sensu falso & erroneo
juxta propriam persuasionem, cui divinam reve-
lationem ab infallibili Ecclesia sufficienter pro-
positam more hæretico postponunt. S. Augu-
stinus nihil favet Adversarijs; quippe etiam nos
sentimus, Symbolum Apostolorum esse Regu-
lam fidei grandem pondere sententiarum, sed

rectè intellectarum, quo modo virtualiter sal-
tem reliqua omnia fidei Mysteria in eo inclu-
duntur; quia admittens illud juxta Ecclesiæ sen-
suum & propositionem paratus est, cetera quoq;
omnia credere, quæcunque Eccl. sia propoierit
tanquam à Deo revelata, quam animi habitu-
dinem hæretici afferre non possunt, quamdiu
hæretici sunt, & ab Ecclesia recedunt.

XL. Ad 1. Confirmationem. Quæ Chri-
stus reliquit creditu libera, ea non fuisse ab Ec-
clesia translata in necessaria: quæ verò ab eo-
dem fuerunt Ecclesiæ arbitrio concessa, de his
ipsam disposuisse pro potestate, quam habet à
Deo tanquam Mater in Filios suos. Cæterum
majorem partem eorum, quæ hodie inter Ca-
tholicos & Protestantes contròvertuntur, à
Christo relictam fuisse liberam creditu, verum
non est, nec Adversarij unquam ostendunt, ut
ex dicendis in toto isto opere constabit. Videri
potest P. Laurentius Forer Part. 2. quæst. vex.
lib. 1. c. 12. ubi solidè demonstrat, 25 articulos
hodie inter Catholicos & Sectarios contròversos
jam in secundo & tercio Sæculo tanquam com-
munem fidei materiam fuisse cognitos. Interim
non negamus, aliqua fidei dogmata, de quibus
olim dubitare licuit, nunc existere certissima;
etenim fuerunt nonnulla, quæ ante Ecclesiæ de-
finitionem & declarationem Fideles fide divinâ
credere non tenebantur; quia licet reipsâ fuerint
revelata, adeo tamen obscurè vel in SS. Scriptu-
tis, vel Traditionibus latebant, ut absque Ec-
clesiæ manifestatione agnosci non possent. Sic
D. Cyprianus ignoravit valorem baptismi ab Hæ-
retico rite collati. Sic D. Augustinus dubita-
vit de animæ origine, an per infusionem, an
per traditionem. Sic S. Hieronymus alij; Patres
de quibusdam libris Cænonicis hæsitant.

XLI. Ad 2. Confirmationem. Res planè est
indigna, Christianos regulari oportere exem-
plo Judæorum, cum Ecclesia Christiana & Ju-
daica valde differant, & multa reperiantur in
illa, quæ in ista non extiterunt. Apostoli etiam
ipso factò docuerunt, Ecclesiam Christianam non
esse exemplo Judaicæ regendam; siquidem lex
vetus fuerit sublata per legem novam: & illa sit
lex timoris, hæc verò amoris; licet igitur inter
Ecclesiam Christianam & Judaicam aliqua sit
analogia, nulla tamen æqualitas aut similitudo
vera. Phariseos universim non fuisse hæreticos,
suo exemplo probant Gamaliel, Nicodemus &
alij plures, quibuscum Christus aliàs non ita fa-
miliariter fuisset conversatus. Si ergo in fide
erraverunt, error iste fuit privatorum hominum,
non Ecclesiæ Judaicæ. Farentur etiam Adver-
sarij, Phariseos fuisse ultimo tempore ante Chri-
stum; nempe cum Judaica Ecclesia ruinæ suæ es-
set proxima. Sadducæi fuerunt indubitati hæ-
retici, cum Resurrectionem, & æternam bono-
rum operum mercedem negarent. Esseni nihil
mali intulerunt Ecclesiæ Judaicæ, nec in tem-
plum venerunt. An hæretici fuerint, videri
potest P. Nicolaus Serrarius lib. 3. trihæresij, ubi
etiam lib. 2. de Phariseis & Sadducæis multa
congerit.

XLII. Ad 3. Confirmationem. Ecclesiam Ro-
manam non se separasse à Græca; sed hanc ab
illa discessisse, sicuti filia subinde relinquit ma-
trem, & communicare cum ista recusat. Nam
Græci aliquot centenis annis in summa concordia
persti-

perstiterunt cum Ecclesia Romana, & confessi fuerunt tum Primatum Romani Pontificis, tum processionem Spiritus Sancti ab utraque divina Persona Patre & Filio. Sunt quidem paucæ, sed non exigui momenti res, quæ inter Latinos & Græcos postea controverti ceperunt. Nihil etiam Latini intermiserunt, quod unitati & paci reducendæ servire posset, sed Græci inconstantia suâ in ita concordia perennitatem non concesserunt. De processione Spiritus S. de Primatu Romani Pontificis, & de alijs, in quibus Græci à Romano-Catholicis dissident, agemus suo loco. Solum hic notaverim, Leonem Allarium Virum doctissimum lib. 3. de Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis perpetua consensione cap. 10. n. 2. conqueri, quod aliqui Catholici malè quosdam errores Græcis impudent; Non: inquit, attendendum est, quid hic vel ille privatus Græcus scribat, sed quid Ecclesia Græca in suis Symbolis, Professionibus & Ritualibus populo proponat, eumque doceat. Hinc fate-mur, in Ecclesia Græca multos salvari, illos scilicet qui absque sua culpa meliore instructione carent, de quo Divinæ Providentiæ nihil præscribendum. Et hæc probabiliter est causa, cur Deus Ecclesiam Græcam inter tam atroces Christianorum hostes conservet, pereuntibus interea hæreticis; quia videlicet tot innocentes & fideles adhuc in illa reperiuntur.

XLIII. Ad 4. Confirmationem. Demus, totum terrarum orbem in 24 partes dividi, & ex his solum 5 à Christi Nominis ac Fidei Cultoribus inhabitari. Concedamus etiam admodum paucos esse, qui Romano-Catholicam Ecclesiam agnoscunt, si isti ad quoslibet alios Christianos conferantur. An non hæc paucitas salvandum est conformis Sac. Scripturæ? expressa in Figuris? asserta à Patribus? toti rerum universitati consentanea? *Multi sunt vocati*, inquit Christus Matth. 20. v. 16. *pauci verò electi*. Ex sexcentis millibus virorum præter mulieres & parvulos, qui ex Ægypto exierunt, solummodo duo terram promissam intraverunt. Plures, ait D. Gregorius hom. 9. in Evang. *ad fidem perveniunt, sed ad regnum caeleste non nisi pauci perducuntur*. Ita nimirum rara sunt, quæcunque chara & pretiosa habentur. Multò plures lateres sunt, ex quibus domus & turres educuntur, quam margaritæ, quæ in coronis Regum splendent. Inter maximum volucrum gregem solæ Aquilæ pennis suis in aërem & super nubes se elevant, cæteræ circa terram volitant. In ipso quoque cælo inter innumeras stellas septem solum Planetæ eminent, & præ alijs lucent.

XLIV. Sed dedimus Romano-Catholicorum paucitatem, non concessimus. Nam difficile non est ostendere, numerum Catholicorum multò majorem esse, quam Adversarij opinentur. Taceo Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam & totam fere Europam Romano-Catholicis esse refertissimam. In Oriente & Græcia ingens est numerus Christianorum, qui per Archi-Episcopos & Episcopos Catholicos Romano Pontifici tanquam supremo Capiti se conjungant, id quod Leo Allarius loc. cit. num. 3. fufè ostendit. Nam, inquit, Mercatores Italiani permulti in Græciam iter faciunt, ibique inito matrimonio Romanæ Religionis exercitia reninent, suosque habent Archi-Episcopos & Episcopos. Edesæ quoque præest Archi-Epi-

scopus. Smyrnæ in Minore Asia Archi-Episcopus est Latinus. Peræ verò in Thracia Patriarchæ Latini Vicarius, multiq; latini conspiciuntur. Caffæ in Tartaria magna vivit copia Christianorum Latini. In Insulis Ægæis singulæ suos venerantur Episcopos. Sic etiam in alijs Patriarchatibus, ut Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana permulti sunt Christiani, qui sub Jurisdictione P. Guardiani Hierosolymitani, Patriarchæ Maronitarum, Episcopi Babylonensis discalearum Carmelitæ Romanum Pontificem Christi in terris Vicarium agnoscunt. In Æthiopia innumeri sunt Christiani, qui omnes sub illo Patriarcha & duobus Episcopis Romano-Catholico more vivunt & moriuntur, ut sic per universam Græciam & Orientem in potissimis locis Catholici reperiuntur, qui ob suæ Fidei ac Religionis exercitia à Græcis amantur & honorantur. Ita fere Allatius.

XLV. In Indijs Res Catholica est in majore vigore & augmento, quam Adversarij audire velint. Et tam in his, quam alijs novissimè repertis terris ac Insulis Indies Infideles à Patribus Societatis J. E. S. U. alijsque Religiosis ad fidem Catholicam convertuntur, in qua tantum fervorem ostendunt, ut multi ex ijs superacis tormentis gloriosi Christi Martyres evadant. Quod jure Sectarios in ruborem dare potest, cum ipsi nihil simile efficere possint. Nam, ut referunt litteræ ex China recentes & fide dignæ, Prædicantes ex Anglia & Holandia illuc delati unice lucro temporalis inhiant & vitam insuper agunt adeo turpem & flagitiosam, ut ab omnibus odio habeantur, atque ipsimè fateri cogantur, neminem se ex Gentilismo ad Fidem Christi convertere posse, ad hoc Jesuitas præmitti oportere, ut scilicet jam conversos illi iterum pervertant. O præclarum opus ab omnibus infernalibus Spiritibus laudatum! Quod Ecclesia Romano-Catholica se solam agnoscat, dicatque veram ac salvificam Christi Ecclesiam, rectè facit, quia potest principium fidei doctrinæque suæ & nunquam interruptam successionem ab Apostolis (qui utique veram habuere fidem ac doctrinam Christi) luculenter demonstrare, sive deinde sit magna, sive parva in comparatione cum alijs Christianis quibuslibet. Atque hinc nulla penitus est comparatio inter Romano-Catholicos & Donatistas, qui nullatenus originem Ecclesiæ suæ à tempore Apostolorum deducere, & fidem ac doctrinam suam Apostolorum fidei doctrinæque conformem ostendere possunt. Ut suo loco pluribus dicemus. Videantur DD. à Wallenburch tom. 2. à pag. 83. ubi Ecclesia Christi ante Lutherum fuerit?

XLVI. Ad 5. Confirmationem, quæ est Joannis Crocij in Vindicat. Anti-Becani P. 1. à fol. 13. in ea nec Majorem, nec Minorem probari; quod tamen in re tanti momenti fieri oportebat. Scire igitur ab ipso duo cupio. Primum. Qui sint illi fundamentales articuli, & unitas, cum alijs aliter de his sentiant? Apelles assignat *Christum crucifixum*. Castander & plerique alij volunt esse *Symbolum Apostolicum*. Castalion & Academici apud Beza lib. de pun. hæret. fundamentum hoc statuunt *Christum esse Dei Filium, Mundi Judicem*. Ochinus nihil creditur esse necessarium putat in Evangelio, quod olim à Judæis non sit creditum. Vergerius singularis Ecclesiæ Romanæ & Sedis Apo-

Apostolicæ hostis, ut de ipso testatur Gualterius in Tab. Chron. fol. 798. fundamentum fidei ponit *Rejectionem Romani Pontificis*. Demum Marcus Antonius de Dominis in revocatione sua 1623. Dillingæ impressa fol. 20. aperte fatetur, nescire se ullum articulum fidei Catholicæ, qui non sit fundamentalis: nunquam etiam vel ipsum capere, vel reperire potuisse aliquem, qui explicaret distinctionem articuloꝝ in fundamentales & non fundamentales, se in eo errasse, quod quosdam articulos non agnovit pro veris, quales tamen reipsa erant, & absque hæresi negari non poterant; quantumvis non essent ex primis & præcipuis v. g. de SS. Trinitate, Incarnatione Verbi, &c. Ecce diversitatem in assignanda Unitate! Videantur iterum DD. à Walsenburch Tom. 1. Tract. 3. toto de Articulis necessarijs & fundamentalibus, &c.

XLVI. Alterum est, quæ illæ sint stipulæ, sœnum, ligna? Affirmant Catholici in Sac. Eucharistia Christum verè esse præsentem sub solis speciebus panis & vini. Negant Lutherani mordicus, Christum esse sub solis speciebus, sed asserunt, eum sub ipsa substantia panis & vini latere, & hanc penitus intrare. Calvinistæ utrisq; contradicunt asserentes, Christi Corpus ita celo affigi, ut inter Christi Corpus & panem tantum sit intervallum loci, quantum est inter celum & terram. Verbo: Christum nec sub speciebus, nec sub Substantia panis & vini esse præsentem. Hæc tunc sunt meræ stipulæ, sœnum, & ligna, quæ super ædificantes fundamento charitatẽ quidem offendant, fundamentum tamen Unitatis salvum relinquant? Quid ergo, quid quæso fidei unitatem scindet, tolletque, si hæc pluræque similia dissidia eandem unitatem non rumpant perdantque? Non dicat Crocius, inter Romanos quoque Theologos esse dissensiones v. g. de Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ, de æterna hominum Prædestinatione &c. Nam istæ lites sunt solum de sententijs, non de gravibus fidei articulis, uti tamen apud Sæctarios fieri amat; unde Calvinismus cum Lutheranismò est Irreconciliabilis Eckhardi, Hülfemannii, Hurteri, Sigvarti & aliorum iudicio; cum interim omnes Catholici Doctores paratum animum gerant, id unice in omnibus sentendi, quod judicaverit Sancta Catholica Ecclesia.

XLVII. Ad 6. Confirmationem. Romanos Theologos bene facere asserendo, quod ad Unitatem Ecclesiæ etiam requiratur conjunctio & unio cum Romano Pontifice, tanquam visibili Capite totius Corporis Ecclesiæ; unde etiam D. Cyprianus Ecclesiam descripsit: *plebem adunatam Pastori*. Quid autem hoc est aliud, quam Oves debere esse conjunctas suo Pastori, hunc audire, hunc sequi? Si igitur Christus Ioan. 21. v. 17. & alibi D. Petro ejusque Successoribus mandavit, ut essent Pastores & Præpositi Gregis sui Ecclesiastici, hoc ipso etiam præcepit suo Gregi & Ovis, ut Pastori huic se conjungerent, & unirent, obedientiam præstando; quippe sunt correlativa, & unum ponit aliud. Quod autem hæc unitas Corporis Ecclesiæ cum Romano Pontifice visibili Capite ejusdem Corporis nec in Sac. Scriptura, nec in Symbolo, nec in usu antiquæ Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis reperitur, est aperte falsum, ut suo loco ostendemus, & videri possunt Sanderus de Monarchia Ecclesiastica,

Keller de Papatu Catholico, Forer de Papatu Antiquo, Bellarminus, Stapletonus & alij. Qui ex Indijs ad nos veniunt, quamvis aliqua vestigia Christianorum olim ibi existentium asserant, ea tamen ita modica & obscura sunt, ut vix umbra appareat signorum, & quidem rerum exiguarum & parvi momenti. De primarijs autem Fidei Mysterijs v. g. SS. Trinitate, Passione ac Morte Christi, Baptismo, Pœnitentia &c. fere nihil, aut perobscurum aliquid conijcitur. Quid igitur mirum, si neque de Romano Pontifice clara indicia deprehendantur. Non obstat P. Athanasius Kircher in China illustrata, ubi majorum indiciorum Christianæ fidei apud Sinas repertorum meminit. Tum quia plus ijs credendum, qui ex Indijs venerunt, quam uni scriptori in Italia. Tum quia nec iste Author talia indicia adducit, ex quibus Romanus Pontifex conijci facile possit. Nunc verò tam in istis quam alijs remotissimis terrarum locis, ubi de novo Fides Catholica agnoscitur, omnes Christianos Romano Pontifici se subijcere, eum audire, ac venerari, ex supra dictis patet.

XLVIII. Ad 7. denique confirmationem. Dicimus 1. Adiaphoriam hanc & Religionis seu Moderationem, seu remissionem nec fieri, nec expectari à Christiano homine posse. Quia Veritas falsitati attemperari ac misceri nequit. Veram fidem ac Religionem nos Romano-Catholici tenemus, sine scelere eam inquinare non possumus. Nos mentiamur, ut Lutherani, Calviniani, aut quivis alij Hæretici de nostro mendacio discant verum loqui? Deum nos Authorem peccati adorabimus? Humanitatem Christi ubiquitariam affirmabimus? Deiparæ ac Sanctorum cultum & intercessionem abjurabimus? decem articulos negabimus, ne illi de purgatorio, indulgentijs, aqua benedictâ, & alijs more suo nugari pergant? Fidem nostram perdamus totam, ut nullam eum illis habeamus? Nam, ut præclare S. Hilarius lib. ad Constantium Augustum: *Cum Unus Deus sit, & una Fides; idcirco ubi plures fides sunt, jam incipit Fides esse nulla*. Nihil Deo credimus, si in uno fallacem arbitramur: nulla nobis credendi superest ratio, si auctoritatem revelantis vel repudiavimus, vel exitiali Hæreticorum paci condonavimus: Non est pax illa, sed cum perfidiâ, sacrilegio, impietate, cum ipso inferno pactio. Apostolorum Princeps & Christi in terris Vicarius D. Petrus vocat *Sæctas perditionis* 2. Pet. 2. v. 1. Quis adeo demens igitur, ut scitis illis communicet, atque inde salutem expectet, unde non nisi exitium hauriri potest.

XLIX. Dicimus II. Adiaphoriâ & Religionis moderatione non consuli paci ac bono communi, ut jam tempore Arianæ hæresis sapienter adverterunt Catholici apud Theodoretum lib. 2. Hist. ca. 18. & 19. Nam dum errantibus indulgetur, animus ipsis additur, ut majora moliantur. Pacis & unionis auctrix est Una Religio, ex hujus confusione semper turbæ. *Speciosum*, inquit D. Hilarius in lib. cont. Arian. *Nomen est pacis, & Pulchra est Opinio unitatis. Sed quis ambigat, eam solam Ecclesie atque Evangeliorum unitam pacem esse, qua Christus est*. Testantur tot, tamque funestæ, quæ hætenus in Ecclesiâ extiterunt, tragœdiæ. Atque utinam Adiaphoristarum minor esset in diversis Regnis & provincijs numerus! multo meliore ac tranquillo statu tum illorum, tum Universæ Christianæ Ecclesiæ res forent.